DE

EPITHETIS HOMERICIS IN -ΕΙΣ DESINENTIBUS.

SCRIPSIT

ANTONIUS GOEBEL,

RHENANUS,

PHIL. DR. ET CAES. REG. GYMN. ACAD. THERESIAN. COLLEGA.

Vindobonae. EX OFFICINA ANTONII SCHWEIGER. | **Monasterii Guestphalorum.** APUD CONRADUM THEISSING.

MDCCCLVIII.

DE

EPITHETIS HOMERICIS IN εις DESINENTIBUS.

Scripsit

ANTONIUS GOEBEL,

Phil. Dr.

Cum multa Homeri vocabula nequaquam satis adhuc explicata sunt, tum praecipue epithetorum in *εις, εσσα, εν* exeuntium haud pauca inveniuntur, quorum de origine et significatione viri docti inter se dissentiant, haud pauca etiam, de quibus consentiant quidem, sed ita disputent, ut locorum, in quibus ea inveniuntur, venustas omnis atque elegantia tolli videatur. Utrumque inde potissimum factum esse persuasum habeo, quod neque in ipsius syllabae *εις* naturam ac vim satis accurate isti inquisiverint neque cum universae poesis Homericae rationem tum singulorum locorum, quibus voces istae occurrant, conditionem atque proprietatem satis ponderaverint.

Docent quidem et grammatici et interpretes plurimi *εις* significare idem quod Latinorum *osus, a, um;* at vero iidem de compluribus huiusce generis vocabulis ita statuunt, ut syllabae *εις* omnino nullam vim tribuant, de aliis ita, ut eam quidquid ipsis placuit significantem faciant. Ut pauca tantum exempla proferam, sunt qui dicant *αἰπήεις* idem esse quod *αἰπύς, αἰπός, φαιδιμόεις* idem quod *φαίδιμος, ὀξυόεις* quod *ὀξύς; ἀλιμυρήεις* productione quadam ortum esse ex *ἀλιμυρής, ὑψιπετήεις* ex *ὑψιπετής*. Et iam apud antiquos fuere qui Pylum *ἠμαθόεντα* inde appellari docuerint, quod prope fluvium Amathum sita esset, tanquam si *εις* unquam significaret *situs ad.* [1]) Quid, quod Aristoteles *θεὸς αὐδήεσσα* explicare nesciens coniectura substituit *οὐδήεσσα in terra habitans* [2]), itaque syllabam *εις* quasi *habitationem* significare posse docuit? *Τερμιόεις* autem et antiquissimi et recentissimi interpretes omnes *usque ad finem pertinens* explicant, ita ut tantum non expressis verbis *εις* esse statuant *pertinens ad.* Neque melius G. Hermann de voce *εὐρώεις* ad Sophoclis Aiac. v. 1146 disputans: »Ab *εὐρύς*, inquit, poetica terminatione factum *εὐρώεις* significationem induit sono vocis consentaneam, ut non simpliciter *latum* sed *vastum* notaret.« Sed exemplorum satis superque.

Verumenimvero quod isti volunt statim ab initio Graecam linguam hac in re omni lege caruisse, id tam inauditum est tamque ab cuiuslibet linguae ratione atque indole abhorret, ut longe sententia ista respuenda esse videatur. Atqui posteriorum aetatum poetae, qui non tam linguae Graecae indolem atque ingenium respicere, quam suo arbitrio ad versus modulandos verba detorquere solerent, mirifica audacia usi, vel monstruosa vocabula pepererunt, inprimis Nicander, qui eo usque progressus est, ut diceret *ἀϊδρήεις* pro *ἄϊδρις, ἀκινήεις* pro *ἀκίνητος, ἀγριόεις* pro *ἄγριος* et alia sexcenta. At vero si quis ad tales poetas, ut linguae leges deprehendat, decurrerit, is videat, ne umbram captet; neque minus perperam rem aggreditur, si quis, Homerum explicaturus, eorum potissimum temporum sequitur interpretes, quibus tales poetae quales Nicander, Oppianus exstiterint.

---

[1]) Strab. pag. 336. — Schol. ad B. 77. [2]) Lehrs. Aristarch. pag. 50.

Ad Homerum explicandum ab ipso Homero, quantum quidem fieri potest, proficiscendum est legesque petendae. Neque numerus vocabulorum in *ες* desinentium non est tantus, ut ad leges eruendas non sufficiat, cum vix denos versus legas, quin in unum alterumque incurras. Qua ipsa ex re, quantum ad Homeri carmina intelligenda accurata epithetorum in *ες* exeuntium cognitio pertineat, apertum manifestumque est. Quare, quantum quidem in nobis est situm, hanc quaestionem instituere in animo est: eam autem viam ingrediemur, ut primum in leges, quas antiquissimis temporibus hac in syllaba suffigenda lingua ipsa secuta esse videatur, inquiramus, tum singula huius generis epitheta percenseamus atque illustremus, quibusque cum nominibus coniungantur, quibus locis et, ubi necesse erit, quibus conditionibus collocentur exponamus. Sed cum non id agamus ut interpretandorum vocabulorum historiam scribamus, nequaquam omnia, quae ad hunc usque diem de quovis prolata sint, nos relaturos atque recensituros esse vix est quod praemoneamus.

Caput I.

Epitheta in *εις* desinentia quae leguntur in Iliade et Odyssea haec sunt:

1, in *η-εις:*

Αἰγλήεις	*ἐερσήεις* vel	*λαχνήεις*	*τιμήεις*
αἰπήεις	*ἑρσήεις*	(*μεσήεις?!*)	*τολμήεις*
ἁλμυρήεις	*ἠχήεις*	*πετρήεις*	*ὑλήεις*
ἀμφιγυήεις	*θυήεις*	*πιδήεις*	(*ὑψιπετήεις?!*)
αὐδήεις	*κνισήεις*	*ποιήεις*	*φοινήεις*
δενδρήεις	*κολλήεις*	(*τειχήεις*)	*φωνήεις*
δινήεις et	*κοτήεις*	*τελήεις*	(*ποτιφωνήεις?!*)
βαθυδινήεις	*κωπήεις*	*τεχνήεις*	

2, in *ι-εις: Χαρίεις.*

3, in *ο-εις:*

Αἰθαλόεις	*ἠμαθόεις*	(*λωτόεις?!*)	*σιγαλόεις*
αἱματόεις	*ἠνεμόεις*	*μητιόεις*	*σκιόεις*
ἀμιχθαλόεις	*θυόεις*	*μορόεις*	*στονόεις*
ἀμπελόεις	*θυσανόεις*	*μυελόεις*	*τειχιόεις*
ἀνθεμόεις	*ἱμερόεις*	*νιφόεις*	*τερμιόεις*
ἀργινόεις	*ἰόεις*	*ὀκριόεις*	*τροφόεις*
ἀστερόεις	*ἰχθυόεις*	*ὀμφαλόεις*	*φαιδιμόεις*
βροτόεις	(*καιρόεις?!*)	*ὀξυόεις*	*φοινικόεις*
δακρυόεις	*κλωμακόεις*	*ὀφρυόεις*	*φυκιόεις*
δολόεις	*κρυόεις* et	*παιπαλόεις*	*ψολόεις.*
ἠερόεις	*ὀκρυόεις*	*πτερόεις*	
ἠϊόεις	*λειριόεις*	*ῥοδόεις*	

[1]) Cf. J. Fl. Lobeck. De adiectivorum in *εις* desinentium usu apud scriptores ionicos atque poetas scenicos. *Schneidewin Philolog.* V. pag. 238 ss. — Geppert. Ueber den Ursprung der homer. Gesänge. Berl. 1840. II. pag. 111. — Pape. Etymol. Wörterb. der griech. Sprache. Berl. 277 ss.

4, in ω-εις: *Εὐρώεις*, *κητώεις*, *κηώεις*, *ὠτώεις*.

5, Adde nomina propria haec: *Γονόεσσα* (intell. *πόλις*), *Θρυόεσσα*, *Κυπαρισσήεις*, *Ὀπόεις* (intell. *χῶρος*), *Σατνιόεις*, *Σελλήεις*, *Σιμόεις*.

Si pauca quaedam epitheta, quorum de origine inter viros doctos controversia adhuc est, excipias, omnia a nominibus duci hasque leges sequi apparet (stellula [*] nomen substantivum forte non inveniri apud ipsum Homerum declaratur):

Η-εις pertinet

1, ad primae declinationis nomina:

Αἴγλη	*ἠχή*	*λάχνη*	*τιμή*
αὐδή	*κνίση* (*κνῖσα*)	*πέτρη* (*πέτρα*)	* *τόλμη*
δίνη	* *κόλλα* Herodt.	*ποίη* (*πόα*)	*ὕλη*
ἑέρση, *ἕρση*	*κώπη*	*τέχνη*	*φωνή*.

2, ad ea tertiae declinationis nomina, quae secundo casu in εος exeunt, ad alia nulla: *αἶπος* Aeschyl. | *θύος* | *τέλος* et, si Strabonis lectio *τειχήεις* antiquior est, *τεῖχος*. Utrum *πιδήεις* a *ΠΙΔΗ*, ut Aug. Lobeck. Path. elem. p. 353 voluit, an a *ΠΙΔΟΣ* ducendum sit, quaeritur.

3, A secundae declinationis nominibus facta sunt: *Κυπαρισσήεις* a *κυπάρισσος*, *κοτήεις* a *κότος*, *δενδρήεις* a * *δένδρον*, nisi de Homerico *δένδρεον* mavis cogitare.

Ο-εις pertinet

1, ad pauca primae declinationis nomina; ubicunque enim ante α et η brevis syllaba antecedit, nunquam *ήεις* fit, sed *όεις*: *Σκιόεις* a *σκιή*, *σκιά*, *τροφόεις* a * *τροφή* Pind. Conferatur Sophocleum *μηχανόεις* a *μηχανή*.

2, ad secundae declinationis nomina:

* *Αἴθαλος* Eur.	*δόλος*	*ἵμερος*	*πτερόν*
ἄμπελος	*ἤμαθος* (*ἄμαθος*)	*ἴον*	* *ῥόδον* Hymn. in Cer.
* *ἄνθεμον* Pind	*ἤνεμος* (*ἄνεμος*)	*μυελός*	*στόνος*
βρότος	*θύσανος*	*ὀμφαλός*	* *ψόλος* Aesch.
δάκρυον			

Huc referenda etiam nomina propria *Γονόεσσα*, *Θρυόεσσα*, *Ὀπόεις*, quae a *γόνος*, *θρύον*, *ὀπός* derivantur, item *φαιδιμόεις*, quod ab adiectivi *φαίδιμος* neutro, quod vocatur, substantivi vice fungente derivandum esse infra demonstrabo. *Τειχιόεις* autem et *φυκιόεις* Augustus Lobeck non ad *τειχίον*, * *φυκίον*, sed ad *τεῖχος* et *φῦκος* refert. Pathol. elem. pag. 457.

3, ad tertiae declinationis nomina:

αἷμα	* *κλῶμαξ* Lycophr.	* *ὄκρις*
ἀστήρ	* *κρύος* Hesiod.	*ὀφρύς*
ἠήρ (*ἀήρ*)	*μῆτις*	* *τέρμις*, gen. *ιος* = *τέρμα* Hesych.
ἰχθύς	* *ΝΙΨ*, acc. *νίφα* Hes.	*φοῖνιξ*.

Huc pertinet etiam *ὀξυόεις*, quod ab adiectivi *ὀξύς* neutro substantivi vice posito ducendum esse mox exponam.

Vocabulorum quae in *οεις* exeunt apud Homerum exstat nullum, in quo vocalem *ο* longa praecedat syllaba. Ubi etymi penultima syllaba producitur, exsistit non *ό-εις*, sed *ώ-εις* metri causa. Aliter postero tempore, quo ultimae duae syllabae contrahebantur: *Μηλοῦσσα* = *μηλόεσσα*, *Οἰνοῦς* = *οἰνόεις*, *Πηλοῦς* = *πηλόεις*. Ab *οὖς*, *ὠτός* fit *ὠτώεις*, a *κῆτος* non *κητόεις* (ut *κρυόεις* a *κρύος*), neque *κητήεις* (sicuti *αἰπήεις* ab *αἶπος*, *θυήεις* a *θύος*, *τελήεις* a *τέλος*, *τειχήεις* a *τεῖχος*), procul dubio ne littera *η* iteretur, sed *κητώεις*, eundemque in modum a *ΚΗΟΣ* (= *θύος*) *κηώεις*, non *κηήεις*, quod absonum foret. *Εὐρώεις* autem, ductum ab * *εὐρώς*, *εὐρῶτος*, quum in ipsa stirpe iam *α* sit, aliter sonare non potuit.

Χαρίεις denique eodem modo factum est a *χάρις*, quo *χαρι-δώτης*, *Χαρί-λαος* alia.

Caput II.

Jam quaeritur quaenam vis et significatio suffixae syllabae insit.

I. Luce id clarius Homerus ipse videtur docere.

1. Primum enim idem, quod epithetis in *εις* exeuntibus dicit, haud raro alias pluribus vocibus et quasi per ambitum verborum enunciat.

Ὑλήεις adiicitur Idae monti, Neio, Placo etc. Nerito autem monti et Parnasso *καταειμένον ὕλῃ* Od. *ν* 351, *τ* 431. Cf. Quint. Smyrn. XIII 488.

Pro *ἀλκήεις*, quod est in Hymn. Hom. XXVIII, apud Pindarum et alios, Homerus habet *εἱμένος ἀλκήν*, *ἐπιειμένος ἀλκήν*: Il. *Θ* 262 *Αἴαντες θοῦριν ἐπιειμένοι ἀλκήν*. *Υ* 381 *Ἀχιλεὺς φρεσὶν εἱμένος ἀλκήν*. Od. *ι* 214 *ἄνδρα μεγάλην ἐπιειμένον ἀλκήν* [1]).

Αἰγλήεις vocatur Olympus *Α* 532, *Ν* 243, *υ* 103; quid hoc sibi velit apparet ex *ζ* 45, ubi Olympus describitur: *λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη*. Compara *υ* 356 *κακὴ δ' ἐπιδέδρομεν ἀχλύς* et epitheton, quo utitur Simonides apud Herodotum V 77, *ἀχλυόεις*.

Ἠερόεις ζόφος *Μ* 240 eae vocantur terrae partes, quae ad solem occidentem vergunt; ibi autem Cimmerii habitant, quorum sedes *λ* 15 hunc in modum describuntur:

> *ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε*
> *ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι.*

Atque per Cimmeriorum regionem est iter in Tartarum, quo de itinere valet *υ* 64 *ἠερόεντα κέλευθα*. Cf. *ἠέρι πολλῇ καλύπτειν* *Γ* 381, *Π* 790, *Υ* 444, *Φ* 549. Ubi Tartarus ipse vocatur *ζόφος ἠερόεις* v. g. *Μ* 240, *Ο* 191, *λ* 154, facile animo obversatur *Ξ* 282 *ἠέρα ἑσσαμένω* vel Hes. Op. 124 *ἠέρα ἑσσάμενοι*, quanquam non de regionibus, sed illud de Junone et Minerva, hoc de daemonibus dictum est. Cf. *Ξ* 380 *ἀμφιέσασθαι νεφέλην* et *Ο* 308 *εἱμένος ὤμοιιν νεφέλην* vel etiam Soph. Oed. Col. 1701 *ὦ τὸν ἀεὶ κατὰ γᾶς σκότον εἱμένος*, in quem locum Hesiodeum fortasse *σκοτόεις* quadrat, quanquam hoc in Hesiodi Operibus 557 non de personis valet (*σκοτόεν νέφος*).

Χαρίεσσαν ἀοιδήν deos Penelopae dedisse, *ω* 198 poeta narrat, hoc est *ἀοιδὴν ᾗ χάρις ἀμφιπεριστέφεται*, ut est *θ* 175. — Quum Minerva Ulyssis capiti humerisque gratiam circumfudisset: *ζ* 235 *κατέχευε χάριν κεφαλῇ τε καὶ ὤμοις* [2]), factum est eius caput *κάρη χαρίεν*, ut est *Χ* 402, cum quo loco conferri potest *Π* 798 *χαρίεν μέτωπον*, *Σ* 24 *χαρίεν πρόσωπον*.

---

[1]) Cf. *Α* 149 *ἐπιειμένος ἀναιδείην*. Recentiorum nullus saepius quam Quintus Smyrnaeus eius generis locutionibus utitur: I. 19, 61, 221. II. 523. V. 504. VI. 152. 241. 296. VII. 363. XIII. 219 etc. [2]) Cf. *β* 12, *θ* 19, *ρ* 63, *ψ* 156, 162.

Λαχνήεις (*Ι* 548 *δέρματι λαχνήεντι*) = *οὔλη δ' ἐπενήνοθε λάχνη*, ut *Κ* 134 de veste est. Quod epitheton cum in describendis Centauris adhibetur vel de Vulcani pectore dicitur, illustratur versu Odysseae *λ* 319, ubi quidem de mento tantum valet —

— — *πρίν σφωϊν ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους*
ἀνθῆσαι πυκάσαι τε γένυς εὐανθέϊ λάχνῃ.

Αἱματόεις = *αἵματι εἰλυμένος Π* 639:

— — *βελέεσσι καὶ αἵματι καὶ κονίῃσιν*
ἐκ κεφαλῆς εἴλυτο διαμπερὲς ἐς πόδας ἄκρους.

Θυσανόεσσα-αἰγίς explicatur ab ipso poeta *Β* 448:

τῆς ἑκατὸν θύσανοι παγχρύσεοι ἠερέθονται.

Ὀμφαλόεσσα-ἀσπίς illustratur *Λ* 34:

ἐν δέ οἱ ὀμφαλοὶ ἦσαν ἐείκοσι κασσιτέροιο
λευκοί, ἐν δὲ μέσοισιν ἔην μέλανος κυάνοιο.

2. Deinde ex iisdem etymis haud raro praeter epitheta in *εις* exeuntia etiam alia a poeta formantur et vel iisdem vel simillimis rebus adiunguntur, ita ut inter se illustrent.

a, Epitheta composita cum *πολύ*.

Μάχη δακρυόεσσα Ν 765, *Π* 436 || *μάχη πολυδάκρυτος Ρ* 192. Sic *πολυδάκρυτος* item ac *δακρυόεις* coniungitur cum vocabulo *γόος τ* 213. 237, *φ* 57 || *δ* 801, *ρ* 8, *ω* 322, — cum *πόλεμος Γ* 165, *Χ* 487 || *Ε* 737, *Θ* 388, *Ρ* 512. Cf. *πολύδακρυς Ἄρης Γ* 132, *ὑσμίνη Ρ* 544.

Δενδρήεις: νῆσος, ἄλσος || *πολυδένδρεος: ἀγρός ψ* 139, 359, *κῆπος δ* 737.

Ἀνθεμόεις: λειμὼν Σκαμάνδριος || *πολυανθής: ὕλη ξ* 353.

Ἠχήεις: θάλασσα || *πολυηχής: αἰγιαλός Δ* 422.

Πιδήεις: Ἴδη || *πολυπῖδαξ: Ἴδη Θ* 47, *Ξ* 157. 307, *Ψ* 117 etc.

Στονόεις: κήδεα ι 12 || *πολύστονος: κήδεα Λ* 445.

Cf. etiam *μητιόεις* et *πολύμητις* et haecce epitheta, quorum quidem alterum quodque non est Homericum:

Αἱματόεις — *πολυαίμων* Aesch.	*Γονόεσσα* — *πολύγονος* Aesch.	*μυελόεις* — *πολυμύελος* Hippocr.
ἀμπελόεις — *πολυάμπελος* Schol. Il.	*δινήεις* — *πολυδινής* Oppian.	*ὀμφαλόεις* — *πολυόμφαλος* Oppian.
ἀνθεμόεις — *πολυάνθεμος* Pind.	*ἰχθυόεις* — *πολυίχθυος* Hymn. in Apoll.	*σκιόεις* — *πολύσκιος* Xen.
ἀστερόεις — *πολύαστρος* Eur.	*κνισήεις* — *πολύκνισος* Ap. Rhod.	*τιμήεις* — *πολύτιμος*.

b, Epitheta cum praefixa syllaba *δα*:

σκιόεις — *δάσκιος Ο* 273, *ε* 470 | *φοινήεις: δράκων Μ* 202 — *δαφοινός: δράκων Β* 308.

c, Comparentur etiam inter se *ἀγάννιφος* — *νιφόεις*, quod utrumque de Olympo dicitur *Α* 420, *Σ* 186. 616, et *ἀγάστονος* — *στονόεις*.

Efficitur syllabam *εις* suffixam cum epithetis indere potestatem ut valeant ***indutum, praeditum, instructum, refertum, obsitum aliqua re.***

II. Idem comprobatur linguis cognatis — Sanscrita et Latina — cum Graeca comparatis. Constat enim inter viros, qui antiquissimorum Indorum litteris et linguis inter se comparandis operam dederunt, syllabam *εις* eandem esse ac Sanscritum *vant* [1]), quod et ipsum nominibus suffi-

[1]) Cf. Bopp. Sprachvgl. Gramm. I. p. 248 ss. — Benfey. Griech. Wurzellex. I. p. 272.

gitur et *praeditum aliqua re* significat. Namque dubitari nequit quin *εις, εντος* antiquissimis temporibus digammo quod vocant indutum fuit (*Fεντ = vant*).

1. Primum enim non aliter atque in vocabulis compositis iis, quorum pars altera a consonanti littera incipit, *εις* suffigitur. Pauca exempla sufficiant:

αἱματό-εις | αἱματο-πώτης	*ἰχθυό-εις | ἰχθυο-φάγος*	*ὑλή-εις | ὑλη-γενής*
δακρυό-εις | δακρυο-γόνος	*ῥοδό-εις | ῥοδο-δάκτυλος*	*χαρί-εις | χαρι-δώτης.*
ἠερό-εις | ἠερο-φοῖτις	*σκιό-εις | σκιο-γράφος*	

Neque aliter res se habet atque in vocabulis, quorum partem alteram a digammo incipere omnes consentiunt: *ἠερό-εις, ἠερο-ειδής* (*Fεῖδος*), *ἰό-εις, ἰο-ειδής.*

2. Deinde exstat inscriptio quaedam, a doctissimo Franz in Ephemer. archaeol. a. MDCCCXLVI Nr. 48 primum edita, in qua *στονοFεσσαν* i. e. *στονόεσσαν* legitur [1]).

Cum autem *Vau* (*F*) facile in *lambda* transeat, Latinorum (quae suffiguntur nominibus syllabae) *lens, lentis* et *lentus-a-um* nihil aliud esse nisi *vant* et *Fεντ* grammatici linguas comparantes optimo iure contendunt [2]). Neque vero *lens, lentus* non declarat copiam. Congruunt igitur inter re et significatione et origine sonoque *Foινο-Fεντ* et *vino-lent*, *ῥοδο-Fεντ* et *rosu-lent*, *δροσο-Fεντ* et *roru-lent.* Sed adiiciam tabulam talium vocabulorum:

Aquilentus-aqua *Varro.*	coenulentus-coenum *Tertull*	opulentus-opes
macilentus-macies *Plaut*	corpulentus-corpus *Plaut*	pisculentus-piscis *Plaut.*
pestilens }	esculentus-esca *Cic. Plin*	potulentus-potus *Cic. Sueton*
pestilentus } pestis	faeculentus-faex *Col. Cels.*	purulentus-pus *Cels. Plin.*
——	febriculentus-febris *Marc. Emp*	pulverulentus-pulvis *Cic.*
Lotiolentus-lotium *Titinn.*	florulentus-flos *Pervigil. Vener.*	rorulentus-ros *Cato.*
sanguinolentus-sanguis *Varro. Ovid.*	fraudulentus-fraus	rosulentus-rosa *Marc. Capit.*
somnolentus-somnum *Solin. Apul.*	frustulentus-frustum *Plaut.*	sordulentus-sordes *Tertull.*
vinolentus-vinum	glebulentus-gleba *Apul.*	succulentus-succus *Apul.*
violentus-vis	iurulentus-ius *Cels.*	terrulentus-terra *Prudent.*
——	luculentus-lux	truculentus-trux
Amarulentus-amarus *Gell. Macrob.*	lutulentus-lutum *Cic. Hor.*	turbulentus-turba
bucculentus-bucca *Plaut.*	merulentus-merum *Fulg.*	virulentus-virus *Gell*
carnulentus-caro *Solin.*	mustulentus-mustum *Plaut.*	

Quorum omnium ne unum quidem inveniri potest, quod non sit a nomine factum neque proprie *praeditum, instructum, refertum aliqua re* significet. Ut in Graeca lingua nonnulla epitheta in *εις* exeuntia ab adiectivis substantivorum vices praestantibus derivantur, sic etiam apud Latinos *amarulentus* ab adiectivo *amarus* et *truculentus* a *trux*. Gell. III. 17 »Timon amarulentus librum maledicentissimum scripsit« h. e. Timon amaro = amaritudine refertus. Cf. Macrob. Saturnal. I. 7 »Amarulenta dicacitas.« — *Truculentus* autem interpretantur »qui vultu saevitiam praefert«; recte quidem; nam est proprie, si neutro adiectivi pro substantivo uti nobis liceat, *truci indutus* = *torvo* vel *atrocitate indutus, plenus,* veluti »aequor truculentum«, »oculi truculenti« etc.

---

[1]) Savelsberg. De digammo eiusque immutationibus dissertatio. Aquisgran. 1854, pag. 7. — Aufrecht. Zwei corcyrae. Inschriften. Zeitschr. f. sprachvgl. Gramm. 1851, pag. 118. [2]) Bopp. l. l. p. 248.

Apud Graecos digamma syllabae *Ϝεις* temporibus, quae Homeri aetatem subsecuta sunt, prorsus interiit, apud Latinos quoque in nonnullis vocabulis hoc factum est, ita ut pro *lentus* habeas *entus*.

Urbs, cui apud Graecos nomen *Πυξόεις* (*πύξος*) est, a Latinis *Buxentum (buxus)* vocatur. Sic *Taurentus* = *Ταυρόεις*, Taurois, portus Galliae Narbonensis (cf. Forcell. Lex.). Etiam *Tauroentum*, oppidum Italiae inferioris, procul dubio a *ταῦρος taurus* appellatum est, et *Laurentum* a *lauro* = *Δαφνοῦς*, *Grumentum* a *grumo* (grumus = tumulus, collis), ut fere = *Ῥυοῦς*. Eundem in modum, etsi obscurior est origo, formata videntur *Truentum* (a *trua?*), *Ferentum (a fera?)*, *Casuentum*, *Turmentini*, *Turmentum (turma?)*, alia.

Placentum dicunt Latini eandem rem quam Graeci *πλακόεντα*, et *cruentus* est *cruore obtectus* eiusdemque originis atque *κρυόεις;* nam *cruor* est sanguis congelatus et *κρύος* = gelu; neque *argentum*, ut optimo iure Doederlein. Synonym. III. 193 docuit, non cohaeret cum *ἀργήεις*. Hinc quaeritur, utrum *poculentus* a subst. *poculum* et *gracilentus* ab adiect. *gracilis* ita facta sint, ut *lentus* suffigeretur et syllaba *le* elideretur, an vero ita, ut *entus* tantum suffigeretur.

Facere non possum, quin nomen urbis *Maleventi* commemorem. Vix enim hodie quisquam est, qui, de eius origine disputans, etiam nunc de verbo veniendi cogitet, cum ex *ΜαλοϜεντ* i. e. *Μαλοεντ*, *μηλόεις* (a *μῆλον*) ortum esse constet. Quod cum Romani in *Beneventum* mutaverint, artis etymologicae haud peritos se praestiterunt. Habes igitur, ubi Romani digamma immutatum retinuerint.

Sed quorsum omnis haec disputatio? Ut appareat apud Romanus nunquam *lentus*, *lens*, *entus* suffixum esse, quin declaret *praeditum*, *refertum* ... Atque cum Graecorum *Ϝεντ* nihil aliud sit nisi *lentus* etc., inde *Ϝεντ* significare idem iure colligitur.

III. Comprobant nostram sententiam etiam innumera fere linguae Graecae nomina propria in *εις*, *εσσα*, *εν* exeuntia, idque argumentum gravissimum est. Nam primum magnus eorum numerus ipsius Homeri tempora longe antecedit, tum in omnibus nominibus propriis linguae ipsius et nationis ingenium quasi in speculo conspici certum est. Etenim cum natio quaelibet ipsa vel urbi vel monti vel fluvio vel regioni alicui nomen imponit, tum certe neque grammaticorum arbitrio neque doctorum virorum inventis, sed suo ipsius vel potius linguae ingenio solo ducitur atque dirigitur. Atqui quantumvis magnus talium nominum sit numerus, ne unum quidem exstat, quod alias atque statuimus leges sequatur: nullum non ex nomine subst. factum est, nullum non *instructum*, *praeditum*, *refertum*, *obsitum* significat. Postquam igitur de nominibus Homericis *Γονόεσσα*, *Θρυόεσσα*, *Κυπαρισσήεις*, *Ὀπόεις*, et, quae obscurioris sunt originis, *Σαττιόεις*, *Σελλήεις*, *Σιμόεις* [1]) supra iam dictum est, alia satis multa in conspectu habeas, id tamen memoria tenens, posterioribus temporibus *εις* cum vocali antecedente contrahi communi in usu fuisse.

Ἀγνοῦς ab *ἄγνος* (intell. *χῶρος*)	*Δαφνοῦς* — *δάφνη*	*Λοπαδοῦσσα* — *λοπάς*
Αἰγοῦσσα (*νῆσος*) — *αἴξ*, *Capraria*	*Δρυμοῦσσα* (*νῆσος*) — *δρυμός*	*Μαραθοῦσσα* — *μάραθον*
Ἀλιμοῦς — *ἄλιμον*	*Δρυοῦσσα* (*νῆσος*) — *δρῦς*	*Μηλοῦσσα* — *μῆλον*
Ἀμαθοῦς — *ἄμαθος*	*Ἐλαιοῦς* — *ἔλαιος*	*Μυοῦς* — *μῦς*
Ἀναγυροῦς — *ἀνάγυρος*	*Ἐλαιοῦσσα* (*πόλις*)	*Μυρικοῦς* — *μυρίκη*
Ἀνθεμοῦς — *ἄνθεμον*	*Ἐρεικοῦσσα* (*νῆσος*) — *ἐρείκη*	*Μυῤῥινοῦς* — *μυῤῥίνη*
Ἀνθεμοῦσσα (*νῆσος*)	*Θριοῦς* — *θρῖον*	*Μυρτοῦσσα* — *μύρτος*
Ἁρματοῦς — *ἅρμα*	*Κερασοῦς* — *κέρασος*	*Οἰνοῦς* — *οἶνος*
Ἀχερδοῦς — *ἄχερδος*	*Κισσόεσσα* — *κισσός*	*Οἰνοῦσσαι* (*νῆσοι*)

---

[1]) Nuperrime de iis scienlissime disputavit Godofredus Muys in libro qui inscribitur Hellenica. Colon. Agripp. 1858. pp. 198. 203. 326.

Ὀφιοῦσσαι (νῆσοι) — ὄφις	Σιδαροῦς — σίδηρον	Τρεμιθοῦς — τρέμιθος, τέρμινθος
Πηλοῦς — πηλός	Σιδοῦς — σίδη	Τυρόεσσα — τυρός
Πιθηκοῦσσαι (νῆσοι) — πίθηκος	Σκιλλοῦς — σκίλλα	Ὑδροῦς } ὕδρα
Πιτνοῦς — πίτυς	Σκοτοῦσσαι — σκότος	Ὑδροῦσσα } ὕδρα
Πιτυοῦσσαι (νῆσοι)	Σολόεις — σόλος	Ὑετόεσσα — ὑετός
Πλατανιστοῦς — πλατάνιστος	Στρουθοῦς — στρουθός	Ὑψοῦς — ὕψος
Ποιήεσσα (πόλις) — ποίη, πόα	Σχινοῦσσα — σχῖνος	Φακοῦσσα — φακός
Πυξοῦς — πύξος	Σχοινοῦς — σχοῖνος	Φαρμακοῦσσα — φάρμακον
Ῥαμνοῦς — ῥάμνος	Τειχιοῦς } τειχίον, τεῖχος	Φασηλοῦσσαι — φάσηλος
Ῥιζοῦς — ῥίζα	Τειχιοῦσσα } τειχίον, τεῖχος	Φοινικοῦς — φοίνιξ
Σμυρνοῦσσαι — σμύρνη	Τιλφοῦσσα — τίλφη, σίλφη	Φυκοῦς — φῦκος
Σηπιοῦς — σηπία	Τραπεζοῦς — τράπεζα [1]	Ψαμαθοῦς — ψάμαθος.

Quae tabula cum satis copiosa sit, quae habemus etiam alia nomina adiicere supersedemus. Sed tamen facere non possumus, quin pauca illorum nominum verbis ipsorum veterum illustremus, ut, quid nomina propria in εις, εσσα, εν exeuntia sibi velint, magis etiam appareat. Apud Plinium igitur est in Hist. Nat. III. 11: »Insulae Pityusae a Graecis dictae a frutice pineo.« — »Aenaria Graecis Pithecusa, non a simiarum multitudine, ut aliqui existimavere, sed a figlinis doliorum.« Plin. H. N. III 12. — Quae insula a Graecis Ὀφιοῦσσα dicta est (Strab. III 167), eadem a Romanis Colubraria, »cum scateat multo ac malefico genere serpentium et sit ideo inhabitabilis.« Pompon. Mel. II 7. Cf. Plin. Hist. Nat. III. 11: »Ebusi terra serpentes fugat, Colubraria parit.« — Τῶν δὲ λοιπῶν (νήσων) Ἐρικοῦσσα μὲν καὶ Φοινικοῦσσα ἀπὸ τῶν φυτῶν κέκληνται, ἀνεῖνται δὲ εἰς νομάς. Strab. p. 276. — Καὶ ὠνομάζετό γε Σηπιοῦς Ἑλληνικῶς ἀπὸ τῶν ἐκκυματιζομένων σηπιῶν. Ibid. p. 390. — Θρύον δὲ καὶ Θρυόεσσαν τὸ Ἐπιτάλιόν φασιν, ὅτι πᾶσα μὲν αὕτη ἡ χώρα θρυώδης, μάλιστα δ' οἱ ποταμοί. Ibid. p. 349. — Πιτύα δ' ἐστὶν ἐν Πιτυοῦντι τῆς Παριανῆς υπερκείμενον ἔχουσα πιτυῶδες ὄρος. Ibid. p. 588

IV. Cum iis, quae exposuimus, consentit etiam constans optimorum et antiquissimorum scriptorum usus, quando nova huius terminationis vocabula proferunt. Exempla sint:

Αἰχμήεις Aesch. — αἰχμή	καλαμόεις Eur — κάλαμος
ἀλγινόεις Hes. — ἄλγεινον (= ἄλγος)	κυκλόεις Soph. — κύκλος
ἁλμήεις Aesch. — ἅλμη	κυδήεις, κυδᾶς Pind — κῦδος
ἀργήεις Pind. — ἀργόν (neutr.)	μελιτόεις Pind. — μέλι
αὐχμήεις Hymn. Hom. — αὐχμή	μηχανόεις Soph. — μηχανή
ἀχλυόεις Simonid. — ἀχλύς	μορφήεις Pind. — μορφή
βησσήεις Hes. — βῆσσα	ξενόεις Eur. — ξένος [2])
βοτρυόεις Ion — βότρυον	πιδακόεις Eur — πῖδαξ
βουλήεις Solon — βουλή	πλατανιστοῦς Theogn. — πλατάνιστος
δονακόεις Eur — δόναξ	σκοτόεις Hes. — σκότος
δροσόεις Eur. — δρόσος	τεκνόεις Soph — τέκνον
ἐλαιήεις Soph. — ἐλαία	ὑετόεις Hymn. Hom — ὑετός
ἐρόεις Hes. — ἔρον	χαιτήεις Pind. — χαίτη
θανατόεις Soph. — θάνατος	(χαίτης εἰλυμένος H. Hom. Ap. 450).

---

[1]) Τράπεζα enim significat etiam saxa quadratis tabulis similia, qualibus saxis regio illa obsita erat. Vide imaginem, quam die illustrirte Welt 1858 exhibet. — [2]) Eur. Iph. Taur. 1281 ἐν ξενόεντι θρόνῳ.

V. Denique innumeros fere locos, quibus veteres interpretes ipsi nomina Homerica in *εις* desinentia explicant et sic quidem uti antea statuimus, possumus afferre; sed pauci sufficiant.

Ἀμπελόεσσαν: τὴν πολλὰς ἀμπέλους ἔχουσαν. Schol. ad Il. *Γ* 185. — *Ἀνθεμόεντι: τῷ ἄνθη (πρώην) ἔχοντι* ad *B* 467. — *Αὐδήεντα: λογικοῦ ζῴου φωνὴν ἔχοντα* ad *T* 407. — *Βροτόεντα: ἡμαγμένα* ad *Z* 480, et id genus alia sexcenta.

Quae cum ita sint, vix perspici potest quidni viri docti sibi constiterint, cum, ut praefati sumus, modo epitheta, de quibus agimus, idem quod latina quae syllabis *osus* terminentur valere doceant, modo nescio quid statuant. Tenendum vero atque defendendum est, epitheta illa

1, nonnisi a nominibus substantivis vel adiectivis quae vocantur substantivorum vice fungentibus duci,

2, significare *indutum, praeditum, exstructum, refertum aliqua re* [1]).

Quae autem aliter explicantur, nequaquam satis adhuc intelligi et denuo excutienda videntur esse. Sed cum ne ea quidem epitheta, quorum de origine nullum est dubium, omnia ita interpretes explicaverint, ut in intimam poetae sententiam penetravisse videantur, et ad regulas quas proposuimus melius etiam intelligendas vehementer pertineat magnoque in Homeri carminibus interpretandis adiumento sit quasi in conspectu habere usum omnium id genus ephitetorum: non solum ea, de quibus adhuc sub indice lis est, interpretabimur, sed etiam reliqua recensebimus et quibus cum substantivis a poeta connectantur adiiciamus, idque ita ut varia epithetorum genera distinguamus.

Caput III.

Ab etymis res quarum numerus iniri possit designantibus plerumque epitheta fiunt, quae magnum earum rerum numerum adesse declarent. Huc pertinent:

Αἰπήεις.

Semel tantum invenitur *Φ* 87: *Πήδασον αἰπήεσσαν ἔχων ἐπὶ Σατνιόεντι.* Vix perspici potest, qui factum sit, ut viri docti vocabulum interpretati sint *in alto monte sitam*, cum in fluvii ripa urbem fuisse positam Homerus et ipso loco dicto et Z 35 declaret:

Ναῖε δὲ Σατνιόεντος ἐϋρρείταο παρ' ὄχθας
Πήδασον αἰπεινήν.

Neque ullo modo fieri potest, ut *αἰπήεις* idem quod *αἰπύς* vel *αἰπός* sit. At vero a tergo urbis inde a promontorio Lecto usque ad Idam montem perpetua montium ac collium iuga (*ῥάχις*) pertinuisse Strabo pag. 605 testis est. Itaque dubitari nequit, quin *αἰπήεις* sit *montibus (τὸ αἶπος) imminentibus insignis.* Neque aliter apud Apollonium Rhodium II 1269 *Καύκασος αἰπήεις* i. e. Caucasus *multa cacumina habens* vel II 721 *νῆσος αἰπήεσσα* (Thynia). Quodsi igitur eadem urbs Pedasus *αἰπεινή Z* 35 vocatur, non de situ id urbis, sed de murorum altitudine intelligendum est. Etenim Calydon quoque, quae iuxta Evenum amnem (Plin. H. N. IV 3) et prope magnum lacum iacebat (Strab. pag. 460), ab

[1]) Haud scio an *Fεντ* ortum sit ab radice *Fες* (*ἕννυμι*) et sansc. *vant* a *vas* = vestire. Non solum significatio *indutum aliqua re* et usus Homericus *εἱμένος ἀλκήν, καταειμένος ὕλῃ κτλ.* quae videas supra, sed etiam universa suffixi quod vocant conditio optime convenit. Namque non aliter nominibus suffigitur quam in vocabulis compositis altera pars: *αἱματό-εις, αἱματο-πώτης, — ἠερό-εις, ἠερο-φοῖτις, ἠερο-ειδής, — ἰχθυό-εις, ἰχθυο-φάγος — ὑλήεις, ὑλη-γενής, — δακρυό-εις, δακρυο-γόνος* etc. Tum etiam qua de causa Femininum non *εισα*, sed *εσσα*, Dativus Plur. non *εισι*, sed *εσι* sonent, elucere videtur; radix enim quam vocant rursus apparet; pro *Fεσ-ια* est *Fεσσα*.

Homero *αἰπεινή* dicitur *N* 317, *Ξ* 116. Quare optimo iure, ubicunque *αἰπεινός* vel *αἰπύς* urbium nominibus additur, Joannes Minkwitz vertit *hochgezinnt*. Sic vocatur Ilion *N* 773, *O* 215. 257. 558, *I* 419. 686, *P* 328 et Gonoessa, Agamemnonis urbs *B* 573.

Ἀμπελόεις vitibus obsitus: — Epidaurus *B* 561, — Phrygia *Γ* 184, — Pedasus Agamemnonia *I* 152. 294.

Ἀνθεμόεις (florulentus) floribus obsitus, sive e terra nati sunt, sive arte repraesentati: — Pyrasus urbs *B* 695, — Scamandrinm pratum *B* 467, — *λειμών μ* 159, — *λέβης Ψ* 885, *γ* 440, — *κρητήρ ω* 274.

Ἀστερόεις

stelliger, stellatus: — *οὐρανός ι* 527, *λ* 17, *μ* 380, *ν* 113, *O* 371, *T* 128. 130, *Δ* 44, *E* 769, *Z* 108, *Θ* 46; — *θώρηξ Π* 134, — *Ἡφαίστου δόμος Σ* 370. Interpretes quod sciam omnes hoc loco de domus Vulcani splendore cogitaverunt et *δόμον ἀστερόεντα* verterunt *domum splendidam, magnificam*. At vero Thetis in ipsam Vulcani officinam intravit deumque sudantem, circa folles laborantem cudentemque invenit *Σ* 371 ss.

τὸν δ' εὗρ' ἱδρώοντα, ἑλισσόμενον περὶ φύσας
σπεύδοντα· τρίποδας γὰρ ἐείκοσι πάντας ἔτευχεν.

Tum profecto et ignis follibus inflatus et metalla malleis percussa claras scintillas, instar stellarum per officinam micantes, dissipabant. Ita exsistit imago splendidissima ac verissima neque vocabulum degenerat a reliquo usu et more suo. — Thorax autem Achillis *Π* 134 quidni stellis arte ex auro argentove fabricatis obsitus fuerit? Quare iam veteres habent: *ἤτοι ἀστέρας ἐμπεποικιλμένους ἔχοντα, ἢ λαμπρόν.* D. *ἄστροιν κεχρωματισμένον καὶ πεποικιλμένον μορφαῖς.* BL. Ac quominus *ἀστερόεις* simpliciter *splendidus* sonare statuamus, propria epitheti significatione prohibemur.

Δακρυόεις lacrimosus, i. e. 1, *lacrimas effundens: θεά Φ* 493. 496, — *νύμφαι Σ* 66, — *κούρη Π* 10 *Φ* 506, — *παῖς X* 499, — Andromache *Z* 455, — *ἑταῖροι κ* 415.

2, *lacrimas eliciens:* — *πόλεμος E* 737, *Θ* 388, *P* 512, — *μάχη N* 765, *Π* 436, — acc. *ἰῶκα* (*ΙΩΞ*) *Λ* 600.

3, *cum lacrimis (coniunctus):* — *γόος δ* 801 = *ρ* 8 = *ω* 322.

4, Adverb. *δακρυόεν γελάσασα Z* 484.

Δενδρήεις arboribus obsitus: — insula Calypsus *α* 51, — *ἄλσος ι* 200.

Δινήεις gurgitibus redundans: — Hermus *Υ* 392, — Xanthus sive Scamander *B* 877, *K* 479, *Φ* 2. 125. 206. 322, *X* 148, *Ω* 693, *Θ* 490, *Ξ* 434, — Scheriae fluvius *ζ* 89, — Enipeus *λ* 242 [1].

Βαθυδινήεις altos gurgites habens: — Xanthus *Φ* 15. 603.

Ἠνεμόεις ventosus, sive ob situs altitudinem sive ob alias causas ventis expositus: — *ἄκριες ι* 400, *π* 365, — Ilios *Γ* 305, *Θ* 499, *M* 115, *N* 724, *Σ* 174, *Ψ* 64. 297, — Mimas *γ* 172, (*ὑψίκρημνος* Hymn. Hom. XL 5), — Enispe *B* 606, — *Παρνησοῦ πτύχες τ* 432, denique *X* 147 *οἱ δὲ παρὰ σκοπιὴν καὶ ἐρινεὸν ἠνεμόεντα*.

Θυσανόεις fimbriis circumdatus, fimbriatus: αἰγίς E 738, *O* 229 *P* 593, *Σ* 204, *Φ* 400. Cf. *B* 448 *τῆς* (*αἰγίδος*) *ἑκατὸν θύσανοι παγχρύσεοι ἠερέθονται*. Quibus conditionibus aegis ita describatur, infra sub voce *τερμιόεις* exponetur.

---

[1] Abhorret ab usu Homerico Quintus Smyrn. dicens *οὐρανὸς δινήεις* V 10, *ἄξων δινήεις* VI 109.

Ἰχθυόεις piscutentus, piscosus: — Hyllus fluvius *Υ* 393, — Hellespontus *Ι* 360, — *πόντος* *Ι* 4, *Π* 746, *Τ* 378, *δ* 381. 390. 424. 470. 516, *ε* 420, *ι* 83, *κ* 458. 540, *ψ* 317, — maritimae viae *γ* 177. Ubicumque mare ita dictum est, pericula significantur, quibus navigatores exponuntur, cum, naufragi, piscium navem sequentium praeda fiant. Qua de re copiosius a nobis disputatum est in Ephemeridibus, quas Muetzell, vir clarissimus, edit, a. MDCCCLV pag. 538. ss.

Καιρόεις

vox dubia, quae ad explicandum Odysseae versum *η* 107

καιροσσέων δ' ὀθονέων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον

a multis viris doctis supponitur pro *καιροσίων.* Quae scriptura si vera est, habes epitheton a *καῖρος licium* factum et *multis liciis confectum* significans. Cf. Lobeck. Elem. path.I. p. 504, p. 257. Verum nescio an Homerus ipse huic interpretationi obstet, qui neque ullum epitheton, cuius etymon penultimam syllabam longam habeat, in *ο-εις* desinens formaverit, neque unquam *οεις* contrahat. Fuisse videntur inter veteres qui legerint *κροσσωτῶν,* sane quam inepte. Aristarchus scribi iubet *καιροσέων,* quod ex *καιροσσῶν* = *καιροεσσῶν* factum esse arbitratur. Enimvero ab constanti Homeri usu legibusque grammaticis talem vocabuli *καιροεσσῶν* mutationem admodum abhorrere quisque videt. Quare facillima mutatione locum sanandum esse censeo: scripserim *καὶ ῥοδέων* pro *καιροσέων.* Atque *ῥόδεος roseus* vel de suavi odore ut saepe = *εὐώδης* vel de grato colore intelligendum est; etenim si quis res admodum albas splendentesque, veluti nivem, diutius aspexerit, eaedem in rosae colorem vel, ut aiunt, in rosam desinere ei videntur. Habes igitur

καὶ ῥοδέων ὀθονέων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον.

Sed ut melius etiam loci elegantia, quae tum exsistat, sentiatur, versus qui praecedunt explicandi sunt.

Πεντήκοντα δέ οἱ δμωαὶ κατὰ δῶμα γυναῖκες
αἱ μὲν ἀλετρεύουσι μύλης ἔπι οἴνοπα καρπὸν,
αἱ δ' ἱστοὺς ὑφόωσι καὶ ἠλάκατα στροφῶσιν,
ἥμεναι οἷά τε φύλλα μακεδνῆς αἰγείροιο, —

Equidem non sine causa *μακεδνῆς* adiectum esse persuasum habeo; *ἥμεναι* autem ad ancillas omnes, non ad eas solas quae neant, pertinere locus ipse docet; duntaxat notio *sedendi* non nimis urgenda est; *φύλλα* non sunt singula folia, sed *frons.* Et quid sibi vult, id quod pars interpretum statuit, »adeo densae sedent, ut populi foliis similes sint?« quid altera interpretatio: »adeo agiles sedent, ut populi foliis comparari possint?« Inepta hercle atque obscura imago. At vero nonne iam factum est, ut stares in limine longi xysti vel longae porticus? Qualis tum xystus, qualis porticus adspicienti tibi apparebat? Ibi arborum, hic columnarum ordo uterque concurrere, in unum locum instar pyramidum inclinari videbatur. Idem Homero in limine conclavis vel atrii, ubi ancillae ad parietes ordine collocatae sedent, animo obversanti accidit. Ut *perspectivam* (cum pictoribus recentioribus hoc uti verbo mihi liceat) describeret, nullum aptiorem invenire potuit imaginem. Populus enim procera pyramidis instar cacuminata, fastigata est. Quae imago eo elegantior est, cum etiam ramorum foliorumque agilitatem repraesentet. Describit igitur poeta primum aspectum universum, tum praestantia ancillarum vestimenta, quae in limine stanti maxime conspicua fuerint. Nam verbis *ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον* splendorem significari recte intellexit Joannes Henricus Voss. Quae descriptio epitheto *ῥοδέων* adiecto multo etiam, ut ita dicam, vividior fit. Sedent igitur ancillae ad parietes ordine collocatae tamquam procerae populi frondes, et indutae roseis vestibus tamquam oleum splendentibus. Cf. *Σ* 596 *χιτῶνας ἦκα στίλβοντας ἐλαίῳ.*

2*

Κητώεις

procul dubio a *κῆτος*, quod proprie ***hiatum, voraginem*** sonat, derivandum est et ***cavernosus, voraginibus obsitus*** significat. Namque eiusdem originis est, cuius *μεγακήτης*, quod et de maris et de navibus et de delphinis dicitur neque aliud quidquam valet quam ***magnam voraginem habens, voraginibus insignis, magno alveo praeditus***, ut luculente primus exposuit Ph. Buttmann in Lexilogo II. p. 92 ss., qui optimo iure originem ab *ΧΑΩ = χάσκω, χαίνω* repetivit. Quattuordecim autem saeculis ante eum idem iam sensit Quintus Smyrnaeus, cum equum Troianum modo *πολυχανδέα*, modo *μεγακήτεα*, modo *κητώεντα* appellet. XII 264. 307 — ibid. 151—16. 314.

Κητώεσσα igitur *δ* 1. *B* 581 Lacedaemon dicitur, quae regio cum aliis causis tum terrae motibus maxime cavernosa fuerit. Auctor est Plinius, apud quem legitur: »Anaximandrum ferunt Lacedaemoniis praedixisse, ut urbem ac tecta custodirent: instare enim motum terrae, cum et urbs tota eorum corruit, et Taygeti montis magna pars ad formam puppis eminens abrupta, cladem insuper eam ruina pressit.« Hist. Nat. II 81. Notior etiam est terrae motus, qui paulo post proelium ad Eurymedontem factum urbem evertit: de quo lege, quae scripserunt Diodorus XI 63. Schol. ad Aristoph. Lysistr. 1138 ss., Pausanias III 11. 6, IV 24. 2 et saepius (cf. Thuc. I 101) et praecipue Plutarchus in Cimonis vita XVI: *ὑπὸ σεισμοῦ μεγίστου δὴ τῶν μνημονευομένων πρότερον ἥ τε χώρα τῶν Λακεδαιμονίων χάσμασιν ἐνώλισθε πολλοῖς καὶ τῶν Ταϋγέτων τιναχθέντων κορυφαί τινες ἀπερράγησαν, αὐτὴ δ' ἡ πόλις ὅλη συνεχύθη πλὴν οἰκιῶν πέντε, τὰς δ' ἄλλας ἤρειψεν ὁ σεισμός.* Haud absonum est etiam, quae apud Strabonem VII pag. 367 sunt, referre: *Γραφόντων δὲ τῶν μὲν »Λακεδαίμονα κητώεσσαν«, τῶν δὲ »καιετάεσσαν«, ζητοῦσι τὴν κητώεσσαν τίνα δέχεσθαι χρή, εἴτε ἀπὸ τῶν κητῶν, εἴτε μεγάλην, ὅπερ δοκεῖ πιθανώτερον εἶναι· τὴν δὲ καιετάεσσαν οἱ μὲν καλαμινθώδη δέχονται, οἱ δὲ ὅτι οἱ ἀπὸ τῶν σεισμῶν ῥωχμοὶ καιετοὶ λέγονται· καὶ ὁ καιέτας τὸ δεσμωτήριον ἐντεῦθεν τὸ παρὰ Λακεδαιμονίοις, σπήλαιόν τι· ἔνιοι δὲ κώους μᾶλλον τὰ τοιαῦτα κοιλώματα λέγεσθαί φασιν, ἀφ' οὗ καὶ τὸ »φηρσὶν ὀρεσκῴοισιν.« εὔσειστος δ' ἡ Λακωνική· καὶ δὴ τοῦ Ταϋγέτου κορυφάς τινας ἀπορραγῆναι τινὲς μνημονεύουσι. εἰσὶ δὲ λατομίαι λίθου πολυτελοῦς τοῦ μὲν Ταιναρίου ἐν Ταινάρῳ παλαιαί, νεωστὶ δὲ καὶ ἐν τῷ Ταϋγέτῳ μέταλλον ἀνέῳξάν τινες εὐμέγεθες, χορηγὸν ἔχοντες τὴν τῶν Ῥωμαίων πολυτέλειαν.*

Κλωμακόεις: — *Ἰθώμη κλωμακόεσσα B* 729 »id est *clivosa et confragosa* vel, ut Polybii verbis utar, *πόλις περικεκλασμένη καὶ βουνώδης* IX 21, 7. id est montium anfractibus incisa.« Lobeck. Elem. Path. I pag. 75.

Κολλήεις.

O 389 *ξυστά, ναύμαχα, κολλήεντα.* Fuerunt qui *κολλήεις* a verbo *κολλᾶν* ***conglutinare*** factum ***conglutinatus*** valere opinarentur: contra quam interpretationem cum omnes regulae repugnent, multo quidem melius ii statuerunt, qui de subst. *κόλλα* ***gluten*** monuerunt. At quid sibi vult ***glutine repletus, instructus***? Fac hanc notionem transire posse in notionem ***conglutinatus***, num credibile est contos, quibus ex nave pugnaretur idoneos, compluribus ex partibus fuisse conglutinatos? Tales profecto contos minus validos firmosque esse, quam qui uno ex tigno confecti sunt, manifestum est. Ac quomodo conti illi agitabantur? Mirum, si id Homerus, qui tam accurate omnia describere soleat, non significasset. Num solis manibus? Enimvero conti vel duas et viginti ulnas longi (O 677) ab uno milite iactari nequeunt. Talibus autem contis Graecos a navibus pugnantes facit Homerus O 389:

ὣς Τρῶες μεγάλῃ ἰαχῇ κατὰ τεῖχος ἔβαινον
ἵππους δ' εἰσελάσαντες ἐπὶ πρύμνῃσι μάχοντο
ἔγχεσιν ἀμφιγύοις αὐτοσχεδόν, οἱ μὲν ἀφ' ἵππων,
οἱ δ' ἀπὸ νηῶν ὕψι μελαινάων ἐπιβάντες

μακροῖσιν ξυστοῖσι, τά ῥά σφ' ἐπὶ νηυσὶν ἔκειτο,
ναύμαχα, κολλήεντα, κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ.

Troes igitur, ait ille, in Graecorum castra irruperunt et ex curribus pugnabant, Graeci autem contis, quibus in pugnis navalibus utebantur. Si talem contum, cum unus, nisi forte, ut Aiax, divino quodam robore erat, iactare non posset, plures milites manibus gestantes impetum hostium propulsare conati essent, mira profecto atque maxime impedita pugna exstitisset. Prorsus alia contis pugnandi ratio fuerit necesse est. In summis navium tignis cardines feminae erant; contorum autem partes inferiores a lateribus paxillos vel verticillos habebant cardinibus masculis similes; his verticillis in cardines feminas immissis facillime dextrorsum sinistrorsum contos illos movebant milites et, ingentem quandam hac machinatione vim nacti, hostes longe propulsabant. Pluribus autem verticillis singulos contos instructos esse erat necesse, quo effici posset, ut longius brevius, prout pugna poscebat, conti prominerent.

Tales uno epitheto *κολλήεντα* contos illos Homerus describit: etenim, siquidem cum etymo *κόλλα* vocabula *κόλλοψ lyrae verticillus*, *κόλλαβος* et *collum* cohaerent, nominis *κόλλα* principalem significationem patet aliam fuisse ac *gluten*: fuit *res circa quam aliquid vertatur, vertebra, verticillus*; secundaria significatio est *gluten*, quippe quod ex vertebris, ex cartilaginibus, ex corio duriori boum collum circumdanti conficiatur. Itaque statuo *κολλήεις* esse *verticillis instructus*.

Idem valet *κολλητός* in Ο 678 *ξυστὸν κολλητὸν βλήτροισι*, et ubicumque apud Homerum reperitur. Namque aut Homeri temporibus iam florebat virebatque verbum *κολλᾶν*, aut non. Si erat, sicuti *τιμάω* est *honoribus afficio*, *πυργόω turribus instruo*, *πτερόω alis instruo*, valebat 1, *vertebris instruere*, 2, *glutinare*, et adiect. verb. *κολλητός* = 1, *vertebratus*, *verticillis instructus*, 2, *glutinatus*. Sin autem nondum erat, id quod probabilius est, ab ipso subst. *κόλλα* factum est terminatione *τός*, ut alia multa: quo cum usu comparandus est Latinorum usus, qui sexcenta adiectiva participiis simillima a substantivis eadem terminatione *tus* = *τός* formant, veluti *alatus*, *barbatus*, *clipeatus*, *stellatus*, *auritus*, *ignitus*, *turritus*, *astutus*, *cornutus*, *nasutus*, *onustus*, *robustus*; eadem lex pertinet ad vocabula germanica *gehörnt*, *geöhrt*, *gestiefelt*, *gestirnt* etc. Sunt etiam id genus adiectiva et latina et germanica, quae sono quidem ex eiusdem originis verbis possunt derivari, at significatio obstat, veluti *geflammt* non ad verbum intransitivum quod vocatur *flammen* referendum est, sed ad ipsum substantivum *Flamme*; nam est = *flammulis obtectus*; nec Romanorum adiect. *venenatus* = *virulentus* idem est quod participium *venenatus* = *veneno interfectus*, sed ab ipso subst. *venenum* repetendum est. Prorsus item se habet lingua graeca. Nam *ποτητός alatus* a *ποτάομαι* derivare significatione utriusque vetamur; est factum a *ποτή*. Adiiciam tabulam satis magnam adiectivorum, ad quae nulla verba eiusdem significatus conferri possint:

(*ὀργητός*), *ἀόργητος*, *εὐόργητος* — *ὀργή*	*θυσανωτός* — *θύσανος*	*λεπιδωτός* — *λεπίς* [1])
	κεδρωτός — *κέδρος*	*νεφελωτός* = *νεφέλη*
	κνισωτός — *κνίση*, *κνῖσα*	*ὀμφαλωτός* — *ὀμφαλός*.
(*πηνητός*), *χρυσεοπήνητος* — *πηνή*	*κοντωτός* — *κοντός*	*ῥοδωτός* — *ῥόδον*
	κροκωτός — *κρόκος*	*φολιδωτός* — *φολίς*.
σπορητός — *σπορά*	*κροσσωτός* — *κρόσσος*	

Hinc idem evadit significatus, quem supra statuimus: *vertebratus*, *verticillis instructus*, et Homericum epitheton *κολλητός* = *κολλήεις*, sicut *κνισωτός* = *κνισήεις*, *θυσανωτός* = *θυσανόεις*, *πτερωτός* = *πτερόεις*,

[1]) *Λεπιδόω* recentissimae originis est; item *νεφελόω*.

ὀμφαλωτός = *ὀμφαλόεις*. Additur nominibus hisce: *ξυστά* Ο 678, — *ἅρματα* Δ 366. Λ 198, Ψ 286, ρ 117. — *σανίδες* Ι 583, φ 137 = 164, *θύραι* ω 194, — *δίφρος* Τ 395.

Iam inspiciamus locos Homericos, quibus *κολλητός* reperitur. Ο 678:

ἀλλ' ὅ γε (i. e. Aiax) *νηῶν ἴκρι' ἐπῴχετο μακρὰ βιβάσθων,*
νώμα δὲ ξυστὸν μέγα ναύμαχον ἐν παλάμῃσιν
κολλητὸν βλήτροισι δυωκαιεικοσίπηχυ.

Huius loci vis atque elegantia tum demum elucebit, cum contos fuisse tales, quales supra descripsimus, acceperis. Tum liquet, qua de causa hoc dumtaxat loco, non versu 389, poeta adiecerit 1, *ἐν παλάμῃσιν*, 2, *βλήτροισι*, 3, *δυωκαιεικοσίπηχυ*, qua de causa dixerit *νώμα*, qua denique de causa rem illustraverit et amplificaverit imagine addita splendidissima *ὡς δ' ὅτ' ἀνὴρ ἵπποισι κτλ.* Sententia enim est: Aiax — incredibile dictu — contos vel duas et viginti ulnas longos, qui alias nisi machinatione quadam moveri non possent, contos illos verticillis instructos, facili opera solis manibus vibrabat. Etenim *βλῆτρα* — quod veterum interpretum pars iam *γόμφους* declarare contenderunt — illi ipsi verticilli sunt, et *κολλητὸν βλήτροισι* (*mit Drehhölzern gepflockt*) similis locutio est atque Ψ 717 *αἵματι φοινικόεις*. Nam *βλῆτρον* non potest esse *res quae circumiicitur* i. e. *annulus, circulus*, id quod plurimi volunt, sed declarat *instrumentum quo iactetur*. Ea enim fere vis est nominum subst. in *τρον* et *θρον* exeuntium, ut res designent quibus aliquid efficiatur, vel locum quo aliquid fiat. Exempla sint vocabula Homerica haecce:

ἄροτρον	*λοετρόν*	[illegible]	*ἐπίσωτρον* (*σοῦμαι*)
ζῶστρον	*μέλπηθρον*	*σκῆπτρον*	*τέρετρον*
κλήϊθρον	*μέτρον*	(*σῶτρον*)	*φέρετρον*.
λέκτρον	*μήνυτρον*		

Neque *δαιτρόν* proprie est *portio*, sed = *μέτρον*, *res quo metiamur*; *δαιτρὸν πίνειν* Δ 262.

Venimus ad reliquum vocabuli *κολλητός* usum. Quid sibi volunt *ἅρματα κολλητά*, *κολλητὸς δίφρος*? Compactos esse currus nemo nescit; friget tale epitheton. *Bene compactus* melius esset; at non adiecit poeta *εὖ*, *πύκα*. Contra *verticillis instructus* insigne quoddam est epitheton: *ἅρματα κολλητά* = *ἅρματα κολλήεντα*, ut ait Hesiodus in scuto Herc. 309. Qui locus sane quam illustrat vocabulum illud.

— — — *ἐϋπλεκέων δ' ἐπὶ δίφρων*
ἡνίοχοι βεβαῶτες ἐφίεσαν ὠκέας ἵππους
ῥυτὰ χαλαίνοντες, τὰ δ' ἐπικροτέοντα πέτοντο
ἅρματα κολλήεντ', ἐπὶ δὲ πλῆμναι μέγ' ἀΰτευν.

Modioli curruum valde strident, quod circa axium verticillos vel cardines celerrime moventur rotae. Sunt igitur *κόλλαι*, quibus currus instructi sunt, axis *cardines*. Cardines etiam significantur in *κολληταὶ σανίδες*, *κολληταὶ θύραι*. Ea sane praestantia est ianuarum, valvarum; »compactae« autem omnes sunt, vel etiam eae ianuae, quae cardinibus non moveantur, sed tantum acclinentur; »conglutinatae, compactae« tabulae quoque innumerabilesque aliae res sunt, tamen nusquam talibus adiiciuntur epitheta *κολλήεις* et *κολλητός*, sed talibus tantum, quae *cardinibus moveantur*. Hoc qui possis explicare, nisi ad nostram accesseris sententiam, equidem non video.

Ὀκριόεις *acutis angulis obsitus*, *angulatus*, — *λίθος* Θ 327, — *πέτρος* Π 735, — *χερμάδιον* Δ 518, — *μάρμαρον* Μ 380, ι 499.

Ὀμφαλόεις: — *ζυγόν* Ω 269, — *ἀσπίς* Δ 448. Ζ 118, Θ 62, Λ 229. 424. 457, Μ 161, Ν 264. Π 214, Τ 360, Χ 111 et τ 32. *Ἀσπίδα ὀμφαλόεσσαν* esse *scutum umbone praeditum* docent interpretes. Sed quidni audiamus potius poetam ipsum, qui Agamemnonis scutum describens Λ 34, haec habet:

ἐν δέ οἱ ὀμφαλοὶ ἦσαν ἐείκοσι κασσιτέροιο
λευκοί, ἐν δὲ μέσοισιν ἔην μέλανος κυάνοιο.

Quare equidem verterim ***scutum (umbilicis) umbonibus praeditum*** id est ***bullis ornatum, bullatum.*** Idem vox de iugo dicta valet: quanquam Ω 273 legitur *τρὶς δ' ἑκάτερθεν ἔδησαν ἐπ' ὀμφαλόν* (intell. *τὸ ζυγόδεσμον*); sed hoc non obstat, quominus bullis aureis iugum illud ad Priami currum pertinens ornatum fuisse statuamus. Namque, quod *E* 729 iugum commemoratur aureum, id certe non solidum auro, sed ornamentis aureis, bullis vel clavis aureis insigne fuit; sic etiam lora vocantur aurea *E* 730.

Ὀφρυόεις.

X 411

— — — ὡς εἰ ἅπασα
Ἴλιος ὀφρυόεσσα πυρὶ σμύχοιτο κατ' ἄκρης.

Longe errant interpretes, qui dicunt idem esse atque *ἠνεμόεσσα, αἰπήεσσα*, neque aliud quidquam significare nisi aut ***collibus obsitus*** aut simpliciter ***altus.*** Nam non omnis collis potest vocari *ὀφρύς* id est ***supercilium***, sed is tantum, qui revera supercilii similitudem habeat: qui ab altera parte declivis et supra, ut supercilium crinibus, ita arboribus atque fruticibus obsitus sit. Est collis prope Troiam, cui nomen Callicolone id est ***Pulcher Collis.*** De hoc colle est *Y* 151

οἱ δ' ἑτέρωσε καθῖζον ἐπ' ὀφρύσι Καλλικολώνης.

Atque collem nullum, quem id quod maximo ornamento montibus collibusque sit deficiat, appellari Callicolonem, ***Pulchrum Collem***, in aperto est. Callicolone nullus est collis, qui sterilis sit atque desertus nudusque. Hinc quid *ὀφρύς* sibi velit patet.

Quodsi ita, ut diximus et in rei natura positum est, vocabulum *ὀφρύς Y* 151 acceperis, duobus ibi verbis admirabilem a poeta imaginem depingi intelliges: Dii enim sedent in ea Callicolones parte, ubi collis in planitiem subito vergit, ita ut, quidquid in campo accidit, optime conspici possit, a tergo autem fruticeta laetum aspectum praebent. Rem ita sese habere luculente nomen proprium Ophrynium probat, qui Troadis locus est; nam unde id nomen traxerit, e Strabonis XI pag. 595 descriptione elucet: *Πλησίον δ' ἐστὶ τὸ Ὀφρύνιον, ἐφ' ᾧ τὸ τοῦ Ἕκτορος ἄλσος ἐν περιφανεῖ τόπῳ.*

Quae cum ita sint, Troiam ideo *ὀφρυόεσσαν* poeta appellat, quod colles declives et fruticetis laetos habebat. Supervacaneum est demonstrare et urbem et regionem collibus insignem et arboribus fruticibusque ornatam fuisse, cum saepe fagi, fici, olivae vel pomaria a poeta commemorentur. Sed gravissima est quaestio, cur potissimum hoc uno loco Troia *ὀφρυόεσσα* neque *ἠνεμόεσσα* vel *αἰπήεσσα* dicatur. Rem declarat unum verbum *πυρὶ σμύχοιτο*, cum quo ineptus tantum poeta *ἠνεμόεσσα* vel *αἰπήεσσα* connectere potest. Non enim venti, non collium altitudo, sed arbores tantum possunt concremari. Vera igitur poetae sententia haec est: »velut si omnis Troia funditus cum ipsis arboribus fruticibusque igni fumoso deleretur . . . .« Neque enim verbo *σμύχω*, quod sonat ***igni fumoso comburere***, sine consilio et causa poeta hoc loco utitur, cum, si urbs aliqua funditus cum ipsis arboribus ardet, flamma clara non exsistat.

Desinamus in Strabonis locum, qui maxime cum nobis faciat, VIII pag. 382: *Χώραν δ' ἔσχεν (Κόρινθος) οὐκ εὔγεων σφόδρα, ἀλλὰ σκολίαν τε καὶ τραχεῖαν, ἀφ' οὗ πάντες ὀφρυόεντα Κόρινθον εἰρήκασι καὶ παροιμιάζονται »Κόρινθος ὀφρυᾷ τε καὶ κοιλαίνεται.«* Valet enim hoc de declivibus, quae superne pinis aliisque arboribus coronantur. Cf. Strab. pag. 380 ss.

Πετρήεις saxosus: — Aulis *B* 496 — Pytho *B* 519, *I* 405, — Calydon *B* 640, Asteris insula *δ* 844.

Πιδήεις = πολυπίδακος, πιδακόεις fontibus abundans: Ida *Λ* 183.

Πτερόεις pennatus, penniger: — *ὀϊστοί* *E* 171, — *ἰοί* *Π* 773, — *ἰά* *Υ* 68 (cf. Senec. Thyest. 861 pennata spicula, Sil. It. VIII 375 pennigerae sagittae), — per translationem ad significandam velocitatem et levitatem: *λαισήϊα* *E* 453, *M* 426 (*κοῦφα καὶ ἐλαφρά*), quem ad locum aptissime interpretes conferre solent *T* 386 *τῷ δ' εὖτε πτερὰ γίγνετ'* (*intell.* arma a Vulcano fabricata), — *ἔπεα* sexcenties.

Τερμιόεις

bis tantum apud Homerum invenitur *Π* 803: — — — *αὐτὰρ ἀπ' ὤμων*
ἀσπὶς σὺν τελαμῶνι χαμαὶ πέσε τερμιόεσσα.

et *τ* 242:

καί οἱ ἐγὼ χάλκειον ἄορ καὶ δίπλακα δῶκα
καλὴν, πορφυρέην καὶ τερμιόεντα χιτῶνα.

Veteres interpretes partim *ποδήρης ad pedes usque pertinens, totum hominem tegens,* partim *σύμμετρος* vocabulum sonare voluerunt. Recentiores in illa explicatione acquieverunt ad unum omnes. Sic etiam nuperrime Doederlein in Gloss. Hom. 560, qui *O* 646 *τὴν* (*ἀσπίδα*) *αὐτὸς φορέεσκε ποδηνεκέ', ἕρκος ἀκόντων*, Xen. Cyrop. VI 2, 10 *σὺν ἀσπίσι ταῖς ποδήρεσι* et *K* 24 *δέρμα λέοντος ποδηνεκές*, Xen. Cyr. VI 4, 2 *ποδήρης χιτών* tanquam locos illustrantes comparat.

At vero qui fieri potest, ut ista significatio exsistat? Vocabulum factum est ex *τέρμις* Gen. *ιος* (= *τέρμα* Hesych.) et suffixa syllaba *εις*. Quare, ni falsa sunt, quae supra de huius syllabae vi disputavimus, proprie valet *terminis instructus, obsitus* (germanice *endchenreich*): hi autem scuti termini sunt fimbriae penicillis similes, *θύσανοι*, vestis vel fimbriae vel villi; itaque *ἀσπὶς τερμιόεσσα = ἀσπὶς θυσσανόεσσα scutum fimbriis ornatum, χιτὼν τερμιόεις*, ut Herodoti II 81 utar verbis, = *κιθὼν θυσανωτός vestis fimbriata* vel etiam *villosa*.

Quaeritur primum de scuto fimbriato. Notum est et Iovem et Apollinem et Minervam aegida fimbriis ornatam gestare, *αἰγίδα θυσσανόεσσαν*. Diis autem certe talia scuta poeta nunquam attribuisset, nisi apud homines in usu fuissent. Iam vero increbruisse videtur mos, ut *θυσσανόεσσα*, utpote gravius et sanctius vocabulum, antiquissimi poetae de deorum tantum scutis, de hominum autem dicerent *τερμιόεσσα*. Quodsi accuratius poetae descriptionem *Π* 803 inspexeris atque examinaveris, nequaquam aptam effici sententiam, cum *τερμιόεσσα* vertas *usque ad pedes pertinens*, aptissimam vero, cum idem quod *θυσσανόεσσα* esse statuas, facile intelliges. Nam scuti perculsi et humi detrusi fimbriae fluitant, idque potissimum in oculos conspicientis cadit. Quid autem sibi vult *Humi cecidit scutum ad totum hominem tuendum accommodatum?* Longe aliter res se habet *O* 646, quem locum inepte contulerunt:

στρεφθεὶς γὰρ μετόπισθεν ἐν ἀσπίδος ἄντυγι πάλτο,
τὴν αὐτὸς φορέεσκε ποδηνεκέ', ἕρκος ἀκόντων.

Nam hic id rei caput est, ut scutum corpus totum tegat atque a sagittis defendat, ut a capite ad pedes usque pertineat. Quare hoc loco *ποδηνεκής* aptissime positum est.

Atqui si locos, quibus *αἰγὶς θυσσανόεσσα*, cuius quidem de significatione nullus dubitat, poeta posuerit, inter se contuleris atque excusseris, iisdem, quibus *ἀσπὶς τερμιόεσσα* positum esse diximus, id fieri conditionibus facile videbis. *E* 738 legitur:

ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν.

Minerva enim, patris validissimi valida filia, scuto humeris iniecto effecit, ut fimbriae conquassatae huc illuc fluitarent. Ita poetam quasi pingere solere cum innumeri loci poterant docere tum statim versus Iliadis XLVI, ubi ipsae sagittae irati Apollinis de Olympo descendentis sonantes describuntur.

Haud aliter atque E 738 se habet O 229, ubi ad Apollinem Iuppiter dicit:

ἀλλὰ σύγ' ἐν χείρεσσι λάβ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν,
τὴν μάλ' ἐπισσείων φοβέειν ἥρωας Ἀχαιούς.

Neque discrepat P 593:

καὶ τότ' ἄρα Κρονίδης ἕλετ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν,
μαρμαρέην, Ἴδην δὲ κατὰ νεφέεσσι κάλυψεν,
ἀστράψας δὲ μάλα μεγάλ' ἔκτυπε, τὴν δ' ἐτίναξεν —

neque Σ 204: — — — *ἀμφὶ δ' Ἀθήνη*
ὤμοις ἰφθίμοισι βάλ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν —,

nec denique Φ 400:

ὣς εἰπὼν οὔτησεν κατ' αἰγίδα θυσσανόεσσαν.

Venimus ad alteram locutionem: *τερμιόεις χιτών*. Indusium, quod simulatus hospes Cretensis Ulixi quondam se dedisse finxit, ita describitur τ 242. Vestimenta autem fimbriata iam antiquissimo tempore usitatos fuisse docet Ξ 181 *ζώνην ἑκατὸν θυσάνοις ἀραρυῖαν*. Aegyptios certe talia indusia habuisse Herodotus II 81 auctor est: *ἐνδεδύκασι δὲ κιθῶνας λινέους περὶ τὰ σκέλεα θυσανωτούς, τοὺς καλέουσι καλασίρις*. Neque temere et fortuitu factum esse existimo, quod Cretensem tale indusium donantem poeta induxerit. Suffragatur etiam nostrae sententiae Hesiodus, qui Op. 535 hiemali tempore spissa vestimenta indui iubet:

καὶ τότε ἕσσασθαι ἔρυμα χροός, ὥς σε κελεύω,
χλαῖναν μὲν μαλακὴν καὶ τερμιόεντα χιτῶνα·
στήμονι δ' ἐν παύρῳ πολλὴν κρόκα μηρύσασθαι·
τὴν περιέσσασθαι — — —
ἀμφὶ δὲ ποσσὶ πέδιλα βοὸς ἶφι κταμένοιο
ἄρμενα δήσασθαι, πίλοις ἔντοσθε πυκάσσας.

Qualem enim tunicam indui velit, versu subsequenti poeta declarat: quo tunicam »raro stamine, denso subtemine texi iubet. Nam in solo subtemine mollities illa lanuginosa, quae panno supereminet.« Iubet igitur poeta laenam (*χλαῖναν*) esse mollem, tunicam autem, quippe quae ipsam cutem tangat, lanuginosam vel potius villosam. Ita gradatio quaedam in verbis *μαλακὴν* et *τερμιόεντα* inest. Neque tunicam talarem locum flagitare, quae de calceamentis praescribuntur, declarant. Nam *πέδιλα* hoc loco non *soleae* sunt, sed calceamenta, qualia Herodotus describit VII 67 *πέδιλα εἰς γόνυ ἀνατείνοντα* et VI 75 *περὶ τοὺς πόδας τε καὶ τὰς κνήμας πέδιλα νεβρῶν*. Id enim luce clarius ipsis Hesiodi verbis efficitur *ἀμφὶ ποσσὶ — — πέδιλα βοὸς ἄρμενα δήσασθαι — πίλοις ἔντοσθε πυκάσσας*. Si quis talibus calceamentis indutus est, is certe in Graecia non indiget tunicae talaris. Sed utut hoc est, *τερμιόεις* quominus *talaris, ad pedes pertinens* significare statuamus, grammatices regulis omnino prohibemur.

Caput IV.

Sunt alia id genus epitheta, quorum etyma plurali quidem numero accipienda sint, cavendum tamen, ne numerus nimis urgeatur.

Τειχιόεις enim non potest significare ***multis muris circumdatus,*** sed ***muris circumdatus, moenibus instructus.*** Verum attende, quaenam urbes ita describantur: solae Tiryns B 559 et Gortyna *B* 646, aliae nullae. Atqui moenibus aliae etiam urbes circumdatae erant: quid igitur? Verum Tiryns moenibus ingentibus, a Cyclopibus, ut putabant antiqui, aedificatis, erat insignis. Strab. VIII pag. 372 extr. Et Gortyna, quae antiquissimis temporibus tam pollens potensque esset, ut cum Gnosso de dignitate certaret, — Strab. X pag. 476, 478 — sine dubio pariter munita erat. Est ergo ***τειχιόεις ingentibus muris instructus.*** Quare vix fieri potest, ut a diminutivo quod vocant *τειχίον* derivetur, et aut cum Strabone l. l. *τειχήεσσα* legendum aut cum Augusto Lobeck Elem. Path. I pag. 457 a nominibus in *ος* ***Gen.*** *ιος* desinentibus epitheta etiam fieri in *ιόεις* exeuntia statuendum est.

Itemque *ὠτώεις* non est ***multis auribus instructus***, sed ***auribus instructus, auritus:*** — *τρίπους* Ψ 264. 513.

> *Ἱππεῦσιν μὲν πρῶτα ποδώκεσιν ἀγλά' ἄεθλα*
> *θῆκε γυναῖκα ἄγεσθαι ἀμύμονα ἔργ' εἰδυῖαν*
> *καὶ τρίποδ' ὠτώεντα δυωκαιεικοσίμετρον*
> *τῷ πρώτῳ.*

Tripus autem ille cum ipse magnificus atque amplus esset, auribus patet eum instructum fuisse, quales animum contemplantis admiratione afficerent sive ob magnificentiam splendoremque seu ob amplitudinem. — Huc etiam referendum esse censeo vocabulum

Ἀμφιγυήεις,

de quo ad *A* 607 veteres interpretes sic docent: *ὁ ἀμφοτέρωθεν βεβλαμμένος, παρὰ τὸ γυιῶ τὸ τὰ μέλη διαλύω, ἐπειδὴ τὸ πῦρ πολλῆς δεῖται τῆς ὕλης.* Bl. *χωλὸς Ἥφαιστος λέγεται διὰ τὸ μὴ δύνασθαι προβαίνειν δίχα ξυλώδους τινὸς βάκτρου. τινὲς δέ φασι, διότι τὴν ἄνω κίνησιν τῆς κάτω πρὸς τὴν τροφὴν ἄνισον καὶ ἀνώμαλον ποιεῖται. βραδυτέρας δὲ αὐτῆς οὔσης χωλαίνειν αὐτὸν ἔφασαν.* L. Recentiores partim eundem in modum vocabulum derivant, partim ab adiectivo ***γυιός claudus***, partim ab radice quadam ***ΓΤ***, GU, cui vel curvandi vel nocendi notio sit, originem ducere volunt. Ad unum autem omnes ***utroque pede claudum*** significare statuunt. At vero ex iis, quae supra exposuimus, satis perspicuum est nullo pacto tale vocabulum ab verbo posse derivari neque ab adiectivo, cum ***claudo*** vel ***clauda re praeditus*** nihil sit. Accedit quod nusquam ***utroque pede claudus*** sanam exhibet sententiam, sed ineptissimam atque absurdam. Nam *A* 607

> *ἧχι ἑκάστῳ δῶμα περικλυτὸς ἀμφιγυήεις*
> *Ἥφαιστος ποίησεν ἰδυίῃσιν πραπίδεσσιν —*

et *Ξ* 230 — — *Ἥφαιστος δὲ ἐμὸς παῖς ἀμφιγυήεις*
> *τεύξει ἀσκήσας —,*

ubi de dei arte atque industria dicatur, quid sibi vellet epitheton ***utrimque claudicans?*** Quid operibus artificiosis cum claudicatione? Exspectandum potius est epitheton, quod ad dei industriam operaque spectet. Reliquis locis omnibus, quibus *ἀμφιγυήεις* invenitur, tanquam ut nomen proprium

positum est vel cum epitheto κλυτός Σ 613 vel cum epitheto περικλυτός coniunctum Σ 383. 393. 462. 587. 590, θ 300. 349. 357. Sed quid sibi vult *clarissimus ille claudus?* Nae, Homeri poesis adeo non caret venustate atque elegantia.

Leges grammaticae vocabulum ἀμφιγυήεις a nomine substantivo derivari iubent; idque nomen est γυῖον, quod *artum quemque qui curvari possit* significare vocabula cognata γύης, γύαλον alia docent; iota enim haud raro elidi notum est, exempla sint γυήτης = γυιός et, quae ab γυῖον orginem ducunt, ἔγγυος (cf. ἐγγυαλίζω), ὑπόγυος et ὑπόγυιος, vel θύον = θύα, θυία, θύω = θυίω alia. Γυῖον autem apud Homerum plerumque p e d e s valet, praesertim ubi vocabulum ὑπό in enunciato est, m a n u s vero, ubi ὕπερθεν additum est *E* 122 = *N* 61 = Ψ 772:

γυῖα δ' ἔθηκεν ἐλαφρά, πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν.

Neque aliud quidquam γυῖον sonat in vocibus ἔγγυος, ὑπόγυιος aliis, nisi m a n u s.

Quae cum ita sint, valet γυιήεις — *artibus validis instructus*; utri autem artus in ἀμφιγυήεις cogitandi sint, satis ἀ μ φ ι - declarat; nam Ψ 627 legitur:

οὐ γὰρ ἔτ' ἔμπεδα γυῖα, φίλος, πόδες, οὐδ' ἔτι χεῖρες
ὤμων ἀ μ φ ο τ έ ρ ω θ ε ν ἐπαΐσσονται ἐλαφραί.

Ergo ἀμφιγυήεις = *utrimque validis artibus instructus* id est *brachiis* [1]). Talis etiam alibi Vulcanus a poeta repraesentatur: vocatur enim Υ 36 σθένεϊ βλεμεαίνων, Σ 410 πέλωρ αἴητον; habet Σ 414 αὐχένα τε στιβαρὸν καὶ στήθεα λαχνήεντα et, quod validissimis brachiis est, potest facere quae describuntur Σ 476:

θῆκεν ἐν ἀκμοθέτῳ μέγαν ἄκμονα, γέντο δὲ χ ε ι ρ ὶ
ῥαιστῆρα κ ρ α τ ε ρ ή ν — —

Crura quidem gracilia sunt (Σ 411, Υ 37), at eo magis corporis superioris, brachiorum robur et amplitudo conspicua fiunt. Atque ut o p i f e x v a l i d u s, r o b u s t u s, qui gravissima opera facile perficiat, aptissime Vulcanus c l a r i s s i m u s vocatur: περικλυτὸς ἀμφιγυήεις, quod idem alias epithetis κ λ υ τ ο ε ρ γ ό ς θ 345 et κ λ υ τ ο τ έ χ ν η ς dicitur θ 286, Σ 143. 391, Α 571.

Qua in vocabuli interpretatione non omni antiquitatis auctoritate destituti sumus: nam Sophocleum ἀμφίγυοι (Trach. 504: ἀλλ' ἐπὶ τάνδ' ἄρ' ἄκοιτιν τίνες ἀμφίγυοι κατέβαν πρὸ γάμων, τίνες πάμπληκτα παγκόνιτα τ' ἐξῆλθον ἄεθλ' ἀγώνων;) interpretum veterum pars ἰ σ χ υ ρ ο ὶ ἐ ν τ ο ῖ ς γ υ ί ο ι ς explicuit. Cf. Schol. ad Trach. 504. Etenim neutiquam ἀμφίγυος et ἀμφιγυήεις seiungenda et a diversis etymis ducenda sunt.

Ἠ ϊ ό ε ι ς

semel tantum apud Homerum reperitur *E* 36:

τὸν μὲν ἔπειτα καθεῖσεν ἐπ' ἠϊόεντι Σκαμάνδρῳ.

Vix dici potest, quantas turbas hoc unum vocabulum inde ab antiquissimis temporibus inter viros doctos effecerit. Nam quattuor interpretandi rationes iam veteres proposuerunt, quibus aliae recentiorum accedunt. Veterum alii ab vocabulo ἴον, *viola*, alii ab ἠϊών, *littus*, alii ab ἠΐων, *auditio*, *fama*, derivave-

[1]) Haec interpretatio in publicum iam proposita est in E p h e m e r. l i t t e r a r. c a t h o l. 1858 pag. 148 a philologo coniunctissimo, cum quo eam, aliis duobus collegis praesentibus, ante multos menses communicaveram. Qui quidem primum eam impugnabat, postea vero adeo adamavit, ut, Lexici Homerici quod C r u s i u s et S e i l e r edidere censuram agens, facere non posset, quin enunciaret, auctore videlicet, cum suum nomen (ut in illis Ephemeridibus moris est) reticere eum oporteret, non nominato.

runt: adde Hesychii glossema *ἠϊόεντι ἀφρώδει.* Vide Lobeck. Path. El. I 65, Doederlein Gloss. Hom. I. 244. Nihil est quod de tertia interpretatione verbum faciamus, quum *ἠϊών fama* futile Zenodoti inventum sit, qui in Od. β 42 nullo iure *ἠϊόνα* substituit. — Neque in Hesychii glossemate morandum est, cum nullum huius soni etymon reperiatur, quod *spumam* declaret: quapropter Augustus Lobeck l. l., cum *ὀφρύς, ὄχθη, ἠϊών* persaepe synonyma essent, fortasse Hesychium *ὀφρυώδει* scripsisse haud inepte coniecit. Quodsi revera ita legendum est, congruit haec interpretatio cum altera *ἠϊόεις* = *ἠϊονόεις*. — Qui autem statuerunt *ἠϊόεις* = *ἰόεις*, a recentioribus ita potissimum refutantur, ut Scamandri ripas violis abundasse non constare dicant. Recte quidem; at vix omnes veterum, qui hanc interpretationem proposuerint, de ipsis violis, sed plurimos de colore cogitavisse arbitror. Nam *ἰόεις* Ψ 850 et *ἰοειδής* Λ 298, ε 56, λ 107 colorem declarant violaceum; veteres autem interpretes nigrum quemque colorem *ἰόεις* valere falso putabant [1]). Atqui limpidis fontibus, aquae limpidae epitheton *μέλας* ab Homero tribuitur; *B* 825 *πίνοντες ὕδωρ μέλαν Αἰσήποιο*, *Π* 160 *ἀπὸ κρήνης μελανύδρου λάψοντες μέλαν ὕδωρ*. Cf. Φ 202, δ 359, ζ 91, μ 104, ν 409. Scamandri vero aquam limpidam esse et bibendo utilissimam testis est Forchhammer, qui Troadem ipse vidit [2]). At, dixerit fortasse quispiam, idem fluvius etiam Xanthus vocatur et a colore luteo nomen duxit. Est quidem unus fluvius, tamen, ut luculentissime vir ille doctissimus exposuit, non idem quod Scamander valet etiam Xanthus. Xanthus enim et vocatur et est fluvius, ubi, hiemali tempore imbribus adauctus, ripis usitatis non continetur, sed alterum etiam alveum, qui aestate aridus est, implet. Is alveus per solum lutulentum fert; ibi aqua, cum facile lutum dissolvat, luti colorem induit. Aliis autem anni temporibus aqua solo alveo eo fluit, qui per dura saxa octo pedes in latitudinem, minimum tres in altitudinem hominum vel, ut antiqui fabulantur, Herculis manibus fossus est; isque usitatus fluvii alveus est et Scamander vocatur, limpidissima aqua abundat minimeque *ξανθός* est. Verumenimvero fieri nullo modo potest, ut ab *ἴον* originem ducat *ἠϊόεις*, ut *ἰόεις* versus gratia in *ἠϊόεις* commutetur.

Quae modo de Scamandri conditione et proprietate exposita sunt, satis docent, quantum interpretatio, quam nuper vir mirabiliter litteratus Doederlein in Gloss. Hom. I 244 proposuit, *ἠϊόεις*, ex *αἶα terra* factum, *terrosus*, *limosus* valere, a vero abhorreat, neque iam, quantum cum linguae legibus discrepet eius ratio, explicemus necesse est.

Reliquum est ut secundam veterum interpretationum excutiamus. Duabus potissimum de causis eam et veteres et recentiores in dubium vocaverunt. Primum ex *ἠϊονόεις* nullo pacto fieri posse *ἠϊόεις*, tum *ἠϊών* maritimam semper oram significare opinantur. At vero iure mirandum est, quod doctissimi viri non cogitaverint de vocabulo Homerico *ἀκμόθετον*, quod quin ex *ἄκμων*, *ἄκμονος* et *τίθημι* ortum et pro *ἀκμονόθετον* positum sit, nemo dubitat. Alia talis syncopae quam grammatici vocant exempla sunt *κιό-κρανον* = *κιονόκρανον* a *κίων*, *τερμο-δρομεῖν* a *τέρμων*, *ονος* et innumera nomina substantiva ea, quae terminatione *σύνη* ab adiectivis vel subst. in *ων*, *ονος* exeuntibus facta sunt, sicuti *τεκτο-σύνη* a *τέκτων* pro *τεκτονο-σύνη*, *εὐφροσύνη* ab *εὔφρων*, *ονος*, *γειτοσύνη*, *ἀφροσύνη* vel quae eundem in modum facta sunt substantiva ab nominibus *ἀγανόφρων*, *ἀεσίφρων*, *δολόφρων*, *ἐπίφρων*, *ἀγνώμων*, *εὐγνώμων*, *ἐλεήμων*, *ἤμων*, *μνήμων*, *ἀπήμων* aliis.

---

[1]) Inde ineptae illae interpretationes, quibus significantia quae vocantur epitheta *ἰοειδής*, *οἶνοψ*, *ἠεροειδής*, *πορφύρεος κτλ* misserrime confunduntur, exortae sunt. Pluribus de iis a nobis disputatum est apud Muetzell. Zeitschrift f. d. Gymnasialwesen. 1855, pag. 329 ss. — [2]) »*Der Bach von Bunarbaschi* (i. e. Scamander) *gewährt treffliches und zu jeder Zeit reichlich fliessendes Trinkwasser und wurde ebendesshalb in neuerer Zeit öfter zum Ankerplatz für grössere Flotten gewählt.*« Forchhammer, *Die Ebene von Troja.* pag. 10.

Quare non video, cur Augustus Lobeck, »ne syncopa occurrat«, vocabulum *ἤϊον* = *ἠϊών* supposuerit vel finxerit. — At vero *ἠϊών* maritimam tantum oram valet. Non provocabimus ad Godofredum Hermann, qui in Opusc. IV 216 fluviis quoque *ἠϊόνας* tribui demonstravit; nam is usus recentior est [1]) neque ad Homerum pertinet. Qua de causa *ἠϊόεις Σκάμανδρος* neque *altis ripis praeditum* neque, ut Forchhammer maluit, *planis ripis inclusum* sonare potest: quanquam, si vocabulum *ἠϊών* apud Homerum semel tantum fluvii ripas significaret, certe Forchhammer, utpote qui suis oculis regionem viderit ac perlustraverit, sequendus est. Verumenimvero *ἠϊών* ab Homero nusquam non de maritima ora dictum est, praecipue autem ad Troadis littus spectat: *B* 92, *H* 462, *M* 31, *Ξ* 36, *P* 265, *T* 148, *Ψ* 61, *Ω* 13, *ε* 156. 418. 440, *ζ* 138.

Quid igitur? Pertinet ad oram maritimam *ἠϊόεις*. Namque attende ad loci nostri sententiam. Minerva Martem ut ex proelio amoveret, collocavit *ἐπ' ἠϊόεντι Σκαμάνδρῳ*. Par erat, deam non eo secedere, ubi dii Troibus inimici considere solebant, qui locus collis erat Callicolone *T* 52. 151, sed eum in locum, ex quo ipsa cum diis Troiam adiuvantibus proelium aspiciebat; is autem locus erat ora maritima; vs. 33. 50. 45. Ergo *ἠϊόεις Σκάμανδρος* est *Scamander oris maritimis praeditus, inclusus*, vel potius ea fluvii pars, quae veras *ἠϊόνας* habet, inter veras *ἠϊόνας* interfluit.

Eundem in modum explicandus est locus quidam Quinti Smyrnaei, qui quidem ad Homerum interpretandum nullius fere auctoritatis, at a clarissimo Buttmann ad suam interpretationem sustentandam excitatus est. Is enim vocabulum quoddam cognatum cum *εἱαμένη* et *pratum* significans excogitavit, cum *πεδίον ἠϊόεν*, in quo grues anseresque pascerentur, apud Quintum Smyrn. V 299 inveniretur, vertitque *Scamander pratis circumdatus*. Verum accuratius locum excutiamus. Quinti versus sunt:

— — — τοὶ δ' ἀργαλέως φοβέοντο,
χήνεσιν ἢ γεράνοισιν ἐοικότες, οἷς ἐπορούσῃ
αἰετὸς ἠϊόεν πεδίον καταβοσκομένοισιν.

Non dubitari potest, quin hoc loco Quintus Iliadis II versum 461 et sequentes imitari conatus sit:

Τῶν δ', ὥστ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά,
χηνῶν ἢ γεράνων ἢ κύκνων δουλιχοδείρων,
Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι, Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα,
ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμενα πτερύγεσσιν,
κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμών —

Atqui iam inter veteres permulti hoc in loco explicando de Caystri ostio cogitaverunt, ut est in Scholiis: *κατὰ δὲ τὰς προχοὰς πηλώδη τόπον ὁ Κάϋστρος ἀπεργάζεται.* Horum in sententiam Quintum quoque discessisse satis probat libri primi versus 283:

Βράγχον τ' ἄγκεα μακρὰ καὶ ἠϊόεντα Πάνορμον.

Est enim Panormus Ephesi portus ad Caystri ostium situs, quae regio paludibus insignis erat. Cf. Strab. XIV pag. 639 ss. XIII pag. 620 ss. Quae cum ita sint, Quintum quoque Smyrnaeum *ἠϊόεις* significare voluisse (*altera parte*) *ora maritima instructum, ad mare attingens*, equidem arbitror.

[1]) Apoll. Rhod. II 659 *καὶ εὐρείας ποταμοῖο ἠϊόνας*, IV 130 *μακραὶ ἠϊόνες ποταμοῖο*.

Caput V.

Pauca tantum sunt epitheta, quorum etyma, etsi res numerabiles designant, tamen singulari quem vocant numero accipienda sint. Ita κωπήεις non potest esse ***compluribus capulis instructus***, sed uno tantum: — ξίφος *Π* 332, *Υ* 475, — φάσγανα καλά, μελάνδετα, κωπήεντα *Ο* 713. Sed cum quilibet ensis capulo instructus sit, eximium aliquid epitheto denotari manifestum est, sive capulus magnitudine, sive arte splendoreque insignis est. Cf. *Λ* 219 κώπη ἀργυρέη, *Ο* 713 φάσγανα καλά.

Ὀξυόεις:

— δόρυ *Ξ* 443, — ἔγχος *Ε* 50. 568, *Η* 11, *Θ* 514, *Ν* 584, *Ο* 536. 742, *Π* 309, *τ* 33, *υ* 306. Dissentiunt inter se de hoc vocabulo iam veteres: partim enim idem esse quod ὀξύς, partim, ab ὀξύα ***fagus*** factum, ***fagineum, ex fago confectum*** significare dicunt. At vero 1. antiquo tempore ad materiam, qua quid factum sit, declarandam nunquam εις adhibetur; 2. Homerus arborem, de qua isti cogitant, nusquam ὀξύην nominat, quamvis saepe illius mentionem faciat; 3. hastae apud eum non sunt fagineae, sed fraxineae: sexcenties enim de hastis ille loquitur, at ne semel quidem dicit φηγός vel ὀξύη pro δόρυ, sed μελίη tantum. Quare cogitaverit fortasse quispiam de vocabulo quod Hesychius exhibet ξυόεις = ξεστός et aut a ΞΥΟΣ ***politura*** aut contra grammatices regulas a ξύω ab recentiorum nescio quo scriptorum fabricatum est. Sed cum id vocabulum omni adhuc auctoritate careat, iustam suspicionem talis derivatio movet. Cf. Lobeck. Elem. Path. I pag. 81. — Neque productione quadam ab ὀξύς, ita ut idem quod ὀξύς valeat, potest esse factum, sed ad neutrum ὀξύ, quod substantivi vice fungatur et ***acutum*** = ***acies*** sonet, referendum videtur [1]; est ergo ὀξυόεις non simpliciter ***acutus***, sed ***acuto*** i. e. ***acie, cuspide instructus*** = ἀκαχμένον ὀξέϊ χαλκῷ *Κ* 135 *α* 99, etc. — et quidem ***bona, valida cuspide instructus***. Cf. *Ο* 389 ξυστὰ κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ.

Σκιόεις:

— ὄρεα *Α* 157, *ε* 279, *η* 268, — νέφεα *Ε* 525, *Λ* 63, *Μ* 137, *ϑ* 374, *λ* 592, — μέγαρα *α* 365, *δ* 768, *κ* 479, *λ* 334, *ν* 2, *σ* 399, *ψ* 299. Proprie est ***umbra indutus***, longe tamen apud Homerum quidem differt ab epithetis σκιερός et δάσκιος; nusquam enim ad umbram, quam arborum frondes efficiunt, refertur, nusquam de lucis ac nemoribus dicitur; his addit poeta σκιερός *ν* 278, *Λ* 480 et δάσκιος *Ο* 272, *ε* 470. Alias apud Homerum haec non inveniuntur. Tamen *υ* 278

ἄλσος ὑπὸ σκιερὸν ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος

crebrius vocabulum σκιόεν metrum aeque explevisset.

Ubi Ulixes ex alto montes Scheriae etiam longe remotos conspicit, frondis umbram nec ipse distinguit, nec poeta virum conspicientem repraesentare potest; tamen habes ὄρεα σκιόεντα. Neque ubi Achilles gloriabundus hostes in Phthiam, cum »montes umbra involuti et mare turbulentum interiaceant«, invadere posse negat, sanus quisquam de grata frondis umbra cogitare potest. Neque enim montes umbriferi hostem defendunt, imo faciliorem invadendi occasionem praebent, cum arbores densae

---

[1]) O insertum est etiam in ὀξυ-ό-φεγγος *Hesiod.*, εὐρυ-ο-δίνης *Strab.*

insidiis aptissimae sint. Sunt a l t i tantum montes quasi vallum contra hostes, quales Phthiae montes esse constat. Hoc iam veteres interpretes cognoverunt, quo magis recentiores id non vidisse mirum videtur. Dicunt enim illi ad *Λ* 157

οὔρεά τε σκιόεντα θάλασσά τε ἠχήεσσα:

διὰ δὲ τῶν ἐπιθέτων τῶν μὲν ὀρέων τὸ ὕψος, τῆς δὲ θαλάσσης ἐδήλωσε τὴν τραχύτητα. BLV.
Ubi igitur Ulixi e longinquo insula tanquam res perparva apparebat, id ipsum, ut appareret, montium altitudine potissimum factum est. Poeta autem ex effectu vult causam dispici. Nam quo quid altius est, eo longiorem et maiorem umbram efficit, qua quidem de causa l o n g a e hastae *ἔγχεα δολιχόσκια* vocantur. Nihil autem clarius Graecorum morem ex umbra res ipsas metiendi demonstrat (id quod exponentem quondam audivi virum amplissimum Carolum Guil. L u c a s), quam vocabulum *σκίουρος* id est, si ita dicere liceat, *umbricauda: animal, cui cauda est, qualis umbram efficiat i. e. longa.* Ergo *ὄρεα σκιόεντα* sunt *montes magna umbra involuti,* longam umbram iacientes. Vividiorem haec interpretatio imaginem animo obiicit praesertim in Od. *ε* 279, *η* 268, cum aequor tanquam tabula repraesentetur, in quam umbra iniiciatur.

Venimus ad *νέφεα σκιόεντα*: nubes sunt permagnae, quae non solum adeo densae sint atque altae, ut solis radii penetrare nequeant, sed etiam tam latae, ut lux eas vix circumvolare possit; nam cum unum alterumve fit, nubila non iam sunt umbrosa, nigra. Quare Homerus *νέφεα σκιόεντα* non dicit, nisi ubi procellis nubila condensata et conglomerata sunt, nusquam vero de singulari nube. *E* 523 ss.

ἀλλ' ἔμενον νεφέλῃσιν ἐοικότες, ἅς τε Κρονίων
νηνεμίης ἔστησεν ἐπ' ἀκροπόλοισιν ὄρεσσιν
ἀτρέμας, ὄφρ' εὕδῃσι μ έ ν ο ς Β ο ρ έ α ο κ α ὶ ἄ λ λ ω ν
ζ α χ ρ η ῶ ν ἀ ν έ μ ω ν, οἵ τε ν έ φ ε α σ κ ι ό ε ν τ α
πνοιῇσι λιγυρῇσι δ ι α σ κ ι δ ν ᾶ σ ι ν ἀ έ ν τ ε ς.

Haud aliter se habet *Λ* 62 ss.

οἷος δ' ἐκ νεφέων ἀναφαίνεται οὔλιος ἀστὴρ
παμφαίνων, τότε δ' αὖτις ἔδυ νέφεα σκιόεντα.

M 157 procella describitur et dies nivalis. Simillimum in modum qui restant loci explicandi sunt.

Iam quid de *μέγαρα σκιόεντα?* Equidem non casu factum esse arbitror, quod cum vocabulo *μ έ γ α ρ α* hoc epitheton poeta coniunxerit. Nam etiamsi *μέγαρον* a *μέγας* propagatum esse veri simile non est [1]), tamen poeta, quoniam antiqui etymologices periti non erant, de hac origine cogitavisse videtur, certe magnae tantum aedes et atria *μέγαρα* vocantur, ut est apud Athenaeum V 193 *τῶν ἡρωικῶν οἴκων τοὺς μείζονας Ὅμηρος μέγαρα καλεῖ.* Et quanquam *μέγαρα σκιόεντα* poeta non dicit, nisi cum aut vesper approquinquat *α* 365, *δ* 768, *ν* 2, *σ* 399, aut nox iam adest *κ* 479, *λ* 334, *ψ* 299: tamen illa notio negligenda non est. Nam nisi aedes vel atria longa ac spatiosa sunt, ad umbram ille, qui intrat, non attendit; talia autem si sunt, maxime partium recedentium umbra atque obscuritas intrantis animum percutit; poetae autem animus quasi in aditu vel porta obversatur, resque conspicatus quales sint verbis exprimere conatur. Nullo igitur pacto potuit fieri, ut conclavia m i n o r a Homerus *σκιόεντα* appellaret.

Huc referenda esse apparet epitheta a nominibus *collectivis* quae vocantur derivata.
Ἠ χ ή ε ι ς fragore plenus: — *θάλασσα Λ* 157, — *δώματα δ* 72.

[1]) B e n f e y. Gr. Wurzellex. II. pag. 44 optimo iure *μέγαρον* comparat cum *μάγ-αρον* et Gr-mach. mag-an etc.

'*Υλήεις* *silva tectus* (*καταειμένος ὕλῃ* ν 351, τ 431): — Ida Φ 449. — Neion, Ithacae mons α 186. — Placus, Mysiae mons Z 396. 425, X 479, — Samos sive Samothrace N 12. — Zacynthus α 246 = π 123 = τ 131, ι 24. — *ῥίον* ι 191, — *πρών* P 748. — *χῶρος* K 362, ξ 2 (Ithacae locus, cf. Neion): — *νῆσος* ι 118, κ 308; cf. *νῆσος δενδρήεσσα*.

Ἀλιμυρήεις.

Sunt qui dicant productione quadam factum esse ex *ἁλιμυρής*. At vero primum leges, quas sequi nomina adiectiva in *εις* desinentia reperimus, quam vehementissime repugnant. Deinde exstat *ἁλιμυρής* apud solos Homeri imitatores recentiores, ita ut potius, quem quidem in modum ipsi Homericum illud vocabulum intellexerint, hoc novum epitheton doceat. Atque quo modo imitatores isti *ἁλιμυρήεις* explicaverunt, eodem omnes deinceps interpretes significare volunt *in mare profluens*. Tamen nonnulli ab ipso verbo *μύρω* derivatum esse statuerunt. Sed hoc nullo pacto fieri posse satis demonstratum est. Iam quid sibi vellet talis orationis amplificatio? Nonne omnia fere flumina in mare undas suas devolvunt? Ad rem tam tritam significandam vocabulo tam sonoro et magnifico poetam usum esse tu credis? Aliter videtur esse explicandum. Ut a verbo *μύρω* — *πλήμμῡρα* (cf. *πλημμυρός*, *πλημμυρέω*, *πλημμύρω*, *πλημμυρίς*, Od. ι 486 brevi υ) factum proprie significat (ut ita dicam) *plenus aestus*, *Vollfluth* (*πλη*: *πίμπλημι*, *πλήθω*, *πλῆθος* etc.), eundem in modum potuit fieri *ἁλίμῡρα maris*, *marinus aestus*, *Meerfluth*, *Meerschwall*, hinc *ἁλιμυρήεις aestu marino oppletus*, *aestu maritimo redundans* (*meerfluthig*). Ac quales cogitandi sunt *ποταμοὶ ἁλιμυρήεντες*, luce id clarius fit ei, qui memor erit eorum, quae Forchhammer, ex itinere, quod per Graeciam et Troadem susceperat, redux, de Troiana regione narravit. Quae ut partim hic describam, res vehementer monet.

Is igitur l. l. pag. 7 dicit: »*Eine besondre Eigenthümlichkeit in den hydrographischen Verhältnissen Griechenlands sind die Meeresströmungen. Solche Strömungen sind nicht ohne Einfluss auf die Gewässer der gegen sie ausmündenden Flüsse, zumal wenn der Wind gegen das Land weht, die schon durch die Strömung wachsenden Fluthen noch höher hebt und so den Lauf des Flusswassers hemmt.*« — Pag. 9: »*Die merkwürdige Eigenschaft der troischen Ebene besteht nun darin, dass sie die Eigenthümlichkeiten sämmtlicher Ebenen Griechenlands vereinigt.*« — Pag. 17: »*Im ganzen Mittelmeere ist keine Strömung, welche an Stärke und Schnelligkeit mit der Strömung des Hellespont verglichen werden kann. Alle Gewässer, welche sich in das schwarze und das Marmormeer ergiessen, haben keinen andern Abfluss als durch den engen Canal vor der Mündung des Mendere (= Simois). Die Strömung geht immer von Osten nach Westen. Da aber der Hellespont innerhalb jener Mündung unbedeutend weiter ist, als vor derselben, so streicht zu Zeiten, wie oben bemerkt, eine starke Gegenströmung an einem Theile des Ufers der troischen Ebene entlang.*« — »*Ungefähr der dritte Theil aller Gewässer, welche sich aus den Wolken über dem Idagebirge entladen, hat seinen einzigen Abfluss durch die Schlucht des Mendere, oberhalb Bunarbaschi, und durch die Ebene, während von der andern Seite, gerade um die Zeit der stärksten Regen, der Südwest das Meer gegen den Hellespont hinantreibt, zuerst die Strömung in die Meerenge und durch diese die Strömung des Flusses staut und nicht nur die vom Ida herabkommenden Gewässer in der Ebene zurückhält, sondern auch überdiess die Fluthen des Hellespont über dieselbe hinaufdrängt.*« — Tum, scribit vir clarus, mare ipsum planitiem inundare; esse reapse veluti proelium inter undas ex Hellesponto in campum Troianum irrumpentes et fluvios, quorum uni hodie *Mendere*, apud antiquos Simoenti, alteri *Bunarbaschi-Su*, apud antiquos Xantho vel Scamandro nomen est.

Iam transeamus ad ipsos locos, in quibus a poeta *ἁλιμυρήεις* dictum est; prior ε 460:

καὶ τὸ μὲν ἐς ποταμὸν ἁ λ ι μ υ ρ ή ε ν τ α μεθῆκεν,
ἂψ δ' ἔφερεν μ έ γ α κ ῦ μ α κατὰ ῥόον — —

In ipso fluvii o s t i o Ulixem tum fuisse, patet ex versu 452 *τὸν δ' ἰσάωσεν ἐς ποταμοῦ προχοάς:* ibi autem fluvii undae et aestus marinus commiscentur. Et quod in versu 461 occurrit *μέγα κῦμα*, idem est quod versibus 402. 416. 425. 429. 435 etc.; est magna m a r i s unda, quae, vento acta, in fluvii alveum irruperat, iam autem relabitur ***κατὰ ῥόον***. Ergo optimo iure in versu 460 fluvius vocatur *ἁλιμυρήεις* ***maris aestu redundans.***

Alter Homeri locus est *Φ* 190: Achilles, Asteropaeum gladio perfossum, qui, antequam certamen iniisset, Axio se ortum iactaverat et in pugna a X a n t h o fluvio nequidquam adiutus erat, his vocibus increpitat:

Τῷ κρείσσων μὲν Ζεὺς ποταμῶν ἁλιμυρηέντων,
κρείσσων αὖτε Διὸς γενεὴ ποταμοῖο τέτυκται.
καὶ γὰρ σοὶ ποταμός γε πάρα μέγας, εἰ δύναταί τι
χραισμεῖν · ἀλλ' οὐκ ἔστι Διὶ Κρονίωνι μάχεσθαι.

Quamquam et ipse Axius potest appellari *ἁλιμυρήεις*, tamen praecipue ad turgidas X a n t h i, qui haud procul in mare influit, aquas respicientem id dixisse Achillem cum ex universo loco tum ex verbis subsequentibus *καὶ γὰρ σοὶ κτλ.* elucet. Iam quae hoc loco notio aptior fuisset, quam ***marinis undis obtectus. maris aestu redundans***? Suis enim oculis Achilles turgidas Xanthi undas marinis immixtas videt; »certamen inter undas ex Hellesponto irrumpentes et Troadis fluvios imbribus adauctos«. maris fluviorumque redundatio poetae animo obversatur: nam Xanthi certamine nihil aliud quam fluviorum natura a poeta describitur. — Non est quod exponamus, quantum ab hac nostra altera, quamvis usitata, vocabuli *ἁλιμυρήεις* interpretandi ratio differat. Una superfluum et frigidum epitheton Homerum adhibentem facit; alteram si sequeris, paucis litteris admirabilem quandam et ad naturam quam proxime accedentem imaginem habes, quales poetarum princeps adumbrare solet.

Collectiva quodam modo sunt etiam multa a d i e c t i v o r u m neutra, cum pro s u b s t a n t i v i s ponuntur, e. g. ubi ***saxosa*** significat c o n t i n u a s r u p e s. Quare hoc loco disputabimus de ***παιπαλόεις*** et ***φαιδιμόεις***.

Φ α ι δ ι μ ό ε ν τ ε ς

Epei vocantur ***N*** **686**: alias vocabulum non reperitur apud Homerum. Nequaquam fieri potest, ut sit ***φαιδιμόεις = φαιδιμός;*** linguae enim leges Homero ludibrio minime sunt. Valeat necesse est vocabulum ***splendido indutus*** i. e. ***splendida armatura indutus***. Etenim Epei *Λ* 537, *Λ* 694 *χαλκοχίτωνες* describuntur. Quod epitheton non omnibus Graecis ab Homero tribuitur. Ubi enim *Ἀχαιοὶ* sive *Ἀργεῖοι χαλκοχίτωνες* poeta dicat, non omnes milites gregarii, sed, ut a veteribus iam adnotatum est, principes tantum declarantur, quippe qui aenea armatura insignes essent. Loci sunt *Δ* 285, ***M*** **354** (*Ἀργ. χαλκ.*), — *Α* 371, *B* 47. 163. 187. 437, *Γ* 127. 131. 251, *Δ* 199, *Z* 454, *H* 275. 444, *Θ* 71. *K* 136. 287. 367. *M* 352, *N* 272, *O* 56. 330, *P* 414, *Σ* 105, *Ψ* 575, *Ω* 225, *α* 286, *δ* 496. Neque aliter res se habet, ubi Troes tales appellantur *E* 180, *P* 485 *Αἰνείας Τρώων β ο υ λ η φ ό ρ ε χαλκοχιτώνων.* Ex singulis autem p o p u l i s praeter Epeos Cretenses tantum (*N* 255) et Boeotii (*O* 330) *χαλκοχίτωνες*, alii autem aliter designantur, ut Iones ***ἑλκεχίτωνες N*** **685**, Myrmidones *ἐγχεσίμωροι γ* 188, Abantes ***ὄπιθεν κομόωντες B*** 542... Quae cum ita sint, ***φαιδιμόεντες Ἐπειοί = Ἐπειοὶ χαλκοχίτωνες.*** Ergo nullo iure hanc vocem impugnat D o e d e r l. III 2195.

Παιπαλόεις.

»Quia a verbis adiectiva in *οεις* exeuntia non ducuntur«, ut clarissimus Lobeck dicit in Path. Elem. pag. 64 n. 4, utque supra satis expositum est, omnes illas interpretationes, quibus *παιπαλόεις* ab aliquo verbo ducitur, missas faciamus. Vocabulum ipsum a nomine *παίπαλος* ortum se exhibet. Iam vero habes apud Callimachum hymn. in Cerer. 194:

> *ἡ δ' ὁτὲ μὲν λασίῃσιν ὑπὸ δρυσὶ κρύπτετο νύμφη,*
> *ἄλλοτε δ' εἰαμενῇσιν· ὁ δ' ἐννέα μῆνας ἐφοίτα*
> *παίπαλά τε κρημνούς τε —*

et in Schol. ad Aristoph. Nub. 260 *τὰ παίπαλα - δύσβατα* et apud ipsum Homerum *πολυ-παίπαλος*, quales per translationem Phoenices versuti, fraudulenti vocantur. Quod epitheton eandem rationem habet ad *παιπαλό-εις*, quam *πολύ-στονος*, *πολυ-δάκρυος*, *πολυ-ίχθυος* ..... habent ad *στονό-εις*, *δακρυό-εις*, *ἰχθυό-εις* (plura id genus exempla supra cap. III. enumerata sunt). *Παιπαλο* — in utroque vocabulo idem est, per translationem duntaxat positum in *πολυ-παίπαλος*. *Παιπάλη* autem, *παιπάλημα*, *παιπάλιμος*, *παιπαλώδης*, *παιπαλάω*, *παιπάλλω* et, quae primam syllabam non duplicant, *πάλη* = *παιπάλη*, *πάλημα*, *παλύνω*, *πάλλω* eiusdem originis esse iam sonus monet. Quaeritur nunc, quaenam sit radix, a qua ea ducantur, ut et sono et significatui satisfiat. Benfey II 82 radicem exhibet *ΠΑΛ terere*. Ex notione autem *terendi* facillime modo omnium vocabulorum illorum significationes ducuntur: *πάλη*, *παιπάλη*, *πάλημα* ... proprium *tritum*, *molitum* sonant h. e. *farina*; *παλύνω* = *farina conspergere*. Notio *torquendi* (*πάλλω*, *παιπάλλω*) et ipsa artissime cum illa cohaeret. Iam usitatissimum est, ut, quae vocabula *tritum* valent, per translationem *astutiae* notionem induant: sic *ἐπίτριπτος* proprie est *tritus*, per translat. *astutus*, *versutus*; item *πολύτριπτος*, *περιτριβής*, et *περιτρίβω* primum *deterere*, tum *astutum reddere*. Similiter se habent *πολύτροπος* (*τρέπω*), *versutus* (verto) et nostrum *gerieben* (*reiben*) vel *geschliffen* (*schleifen*). Hinc *παιπάλη* et *παιπάλημα* designant etiam per translationem hominem vafrum astutumque, item *παιπάλιμος*, *παιπαλώδης* ..... et *πολυ-παίπαλος*, quod proprie est *valde tritus* i. e. *versutus*. Itaque, quae propria vocabuli *παίπαλος* atque naturalis notio sit, facile colligere possumus: est *tritus*, *τὰ παίπαλα* = *fragosa, confraga, confragosa*, quae Romanorum vocabula et ipsa haud alium in modum a verbo *frangendi* ducta sunt, germanice (*Geriebenes* =) *Gebröckel*, *Geröll*, *Felsgeröll*. Quapropter *παιπαλό-εις* epitheton iis locis tribuitur, in quibus omnia sunt praerupta et confracta: locis confragosis, salebrosis. Atque haec significatio in locos Homericos quadrat omnes.

M 168 via (*ὁδός*) ea, ad quam vespae et apes domos suas cellasque quandoque faciunt, *παιπαλόεσσα* dicitur:

> *οἱ δ', ὥστε σφῆκες μέσον αἰόλοι ἠὲ μέλισσαι*
> *οἰκία ποιήσωνται ὁδῷ ἔνι παιπαλοέσσῃ,*
> *οὐδ' ἀπολείπουσιν κοῖλον δόμον, ἀλλὰ μένοντες*
> *ἄνδρας θηρητῆρας ἀμύνονται περὶ τέκνων — —*

Quid hoc loco sibi vellet *via pulverulenta*, ut nuperrime etiam Doederlein explicavit? Num apes pulverem amant? Num tramites a venatoribus frequentati viae pulverulentae sunt? Et quid ibi *via tortuosa, flexuosa* [1]) sibi vellet? At confragosa est via saxisque confractis cavernosisque insignis. Nam, ut est apud Vergilium in Georg. IV 43,

---

[1]) Ita interpretati sunt Godofr. Hermann ad Hymn. in Apoll. 39 et C. Guil. Lucas, quo nemo copiosius et doctius de hoc vocabulo disputavit. Progr. Bonn. MDCCCXLI.

Saepe etiam effossis, si vera est fama, latebris
sub terra fovere larem, penitusque repertae
p u m i c i b u s q u e c a v i s exesaeque arboris antro.

P 743 tramiti (*ἀταρπός*), per quem ingenti cum labore multoque sudore trabem muli trahunt, illud epitheton tribuitur; sane, quod per confragosa loca trames fert, »labore et sudore mulorum animus conteritur«, non quod flexuosus sit.

ϱ 204 via illa (*ὁδός*), quae ab Eumaei stabulis ad Ulixis aedes ducit, ***παιπαλόεσσα*** describitur; Ithaca enim est ***κραναή*** *Γ* 201, *α* 247, *ο* 509, *π* 124, *q* 346 vel ***τρηχεῖα*** *κ* 417. 463. Item Ithaca ipsa vocatur ***παιπαλόεσσα*** *λ* 480, et insula Samos *δ* 671 = *ο* 29, *δ* 845. — Imbros *N* 33, *Ω* 78. — Chios *γ* 170. — mons quidam Samothracine *N* 17, denique *σκοπιή*, montis culmen, unde longe lateque prospiciendi facultas datur, quod certe ***pulverulentum*** nequaquam dici potest *κ* 97 = 148. 194.

Iam non est quod de illorum opinione, qui ab *αἰπύς* hoc vocabulum propagatum esse commenti sunt, neque de mira Theodori B e n f e y [1]) derivandi ratione, qui de ***πέλλα rupes, lapis*** cogitari iubet, verba faciamus. Concludamus potius poetarum nonnullorum, qui Homerum imitati sunt, usu comparato: Homeridarum dico, Hesiodi, Apollonii Rhodii et Quinti Smyrnaei. In Hymno in Apoll. 39 eodem epitheto describitur Mimas, 141 Cynthus, 172 Chius, — apud Hes. in Theog. 860 *βῆσσαι*, — apud Ap. Rhod. IV 1636 Carpathus, — apud Quint. Smyrn. VIII 226 ***οὔρεα***, VIII 115, IX 379 ***πέτρη***; maxime autem insignis est locus VII 545:

ὡς δ' ὅτε παιπαλόεσσαν ὁδὸν κατὰ ποσσὶν ἰόντες
ἀνέρες ἀθρήσωσιν ἀπ' οὔρεος ἀΐσσοντα
χείμαῤῥον, καναχῇ δὲ περιβρομέει περὶ πέτρῃ,
οὐδέ τι οἱ μεμάασιν ἀνὰ ῥόον ἠχήεντα
βήμεναι ἐγκονέοντες — —.

Quibus locis omnibus sane quam apte notio ***confragosi*** convenit.

Caput VI.

Aliud genus epithetorum est eorum, quorum etyma s u b s t a n t i v a quae vocantur m a t e r i a l i a sunt. Talium rerum cum proprie non numerus, sed mensura tantum possit iniri, multitudinem adesse epitheta declarare nequeunt; quare singulari numero esse accipienda etyma in promptu est. Huc pertinent etiam epitheta nonnulla, quorum etyma res quidem designent numerabiles, at non sint propria significatione accipienda, sed tantum ad illarum proprietates declarandas adhibeantur, veluti cum ***viola, rosa, lilium*** non flores illos notissimos, sed violarum, rosarum, liliorum colorem vel odorem declarant. Neque ab lingua germanica is usus discrepat. Vocabulum enim ***schnee-ig*** valet et ***nive tectus*** et ***nivis colore indutus; ros-ig*** autem nunquam ***rosis obsitus***, sed semper ***rosae colore indutus***.

Αἰθαλόεις 1. ***fuligine obductus: — μέλαθρον*** *B* 415. — ***μέγαρον*** *χ* 239. quibus de locis consulas D a m m. Lex. Hom. — 2. ***fuliginis colore inductus: κόνις*** *Σ* 23, *ω* 316; idem quod *Σ* 23 ***κόνις αἰθαλόεσσα*** versu 25 ***μέλαινα τέφρη*** vocatur.

---

[1]) Griech. Wurzellex. II pag. 99.

Αἱματόεις **cruore obtectus, cruentus**: — *χείρ* E 82, — *παρήια* χ 405, — *ὄσσε* N 617, — *ἐγκέφαλος* P 298, — de milite quodam P 542 *πόδας καὶ χεῖρας ὕπερθεν αἱματόεις*, — *χιτών* Π 841, — *τεύχεα* X 369, — *ἔντεα* N 640, — *βρότος* (**sanguis**) H 425, Ξ 7, Σ 345, Ψ 41, — *ψιάδες* Π 459; — *σμῶδιξ* B 267 (cf. *σμώδιγγες αἵματι φοινικόεσσαι* Ψ 716), — *κόνις* N 393 = Π 486, — *πόλεμος* I 650, T 313, — *ἤματα* I 326.

Ἀμιχθαλόεσσα

insula Lemnos Ω 753 et in Hymn. Ap. 36 vocatur. Scholia adnotant: *ἤτοι ἀπρόσμικτον, ἢ ῥαδίως οὐ μίγνυται ὁ ἀπὸ τῆς θαλάττης, καθὸ ἀλίμενός ἐστιν, ἢ διὰ τοὺς ἐνοικοῦντας ἀγρίους καὶ θηριώδεις καὶ λῃστρικὸν βίον ἐπανῃρημένους. ἔνιοι δὲ οὐχ οὕτως, ἀλλὰ τὴν ὀμιχλώδη ἀπέδοσαν.*

Vix dispici potest, quomodo factum sit, ut interpretum plurimi, quod aditu difficillima esset neque bonis portubus uteretur, ita vocari insulam sibi persuaderent. Nam repugnat primum ipsius loci Homerici conditio atque habitus, cum Lemni captivos venditare solitum esse Achillem poeta narret; esset igitur *ἀπρόσμικτος* quasi contradictio ut aiunt in adiecto. Deinde insulae natura nequaquam talis est, ut vocari possit *ἀπρόσμικτος*. Portum enim ei esse eximia bonitate, qui ipsi insulam viderunt, testes sunt [1]. Quod si interpretes ex aequalibus, qui ad insulam appulissent, audire non potuissent, at certe accuratius ipsum Homerum legentibus discendi facultas dabatur. Homero enim auctore troiani belli temporibus magnam et copiosam mercaturam insula faciebat: ibi mancipia proponebantur venalia Φ 40, 58, 79, Ω 753; inde exportabatur praecipue vinum H 467, Φ 41. Quid, quod Graeci, antequam in Asiam appulerunt, diu in insula Lemno commorati hospitioque usi sunt? Θ 230. Quid, quod Argonautae idem fecissé traduntur? Ap. Rhod. I 609 ss. Hoc certe numquam factum esset, si insula nullum portum haberet.

Neque magis cum Homero consentiunt, si qui ob incolarum barbariem insulam *ἀπρόσμικτον* esse dicunt. Incolae quidem, ex Thracia oriundi, barbaro ore loquebantur (*Σίντιες ἀγριόφωνοι* θ 294), at nusquam a poeta ut homines saevi et immanes describuntur. Contra humanissimi succurrunt Vulcano de coelo deiecto A 594; hospitio recipiunt Graecos Troiam proficiscentes Θ 230, faciunt, ut supra diximus, mercaturam; rex ipsi Achilli familiaris est H 468, Ω 753, Φ 41; urbs bene condita et celebris in insula est (*ἐϋκτιμένη* Φ 40, 58, θ 283, *ἠγαθέη* B 722, Φ 58, 79), gratissima inprimis Vulcano θ 294 301: neque ibi Philoctetem reliquissent Graeci, si inter truculentos ac crudeles homines ei vivendum fuisset. Nec denique, quod veteres narrant medendi serpentium ictibus peritos fuisse Lemniorum sacerdotes, a fera et inhumana gente insulam incultam fuisse probat. Certe cum haec ita sint, nomen Sintium dubiaque eius origo (*σίνομαι*) minime urgenda sunt.

Accedit quod via quadam et ratione ab *μίγνυμι* minime derivari potest *ἀμιχθαλόεις*. Quapropter alteram veterum interpretationem perscrutemur: *ἀμιχθαλόεις* = *ὀμιχλώδης*.

Radix notissima est MIX [2]), ex qua *ὀ-μίχ-λη, ὀ-μίχ-ω, ὀ-μιχ-έω, ὄ-μιχ-μα*; cf. **meiere, mingere** et germanicum vocabulum linguae rusticae **migen**: proprie sonat radix illa **humectare**. Iam ut ab *αιθ* (*αἴθω*) *αἴθ-αλος*, sic a *μιχ* fit *ΜΙΧΑΛΟΣ* vel potius theta inserto *ΜΙΧΘΑΛΟΣ*. Nam saepe theta inseritur [3]) non tantum soni causa ante suff. *μος, μα, μη*: *ὀρχηθμός, ἴθμα, ἆσθμα*, sed alias etiam, veluti in *ἔσθος, ἐσθής* (*FEΣ*), *ἄχθος* (*ἄχος*), *στῆθος* (*ΣΤΑ*), *ἀτάσθαλος* (ex *ἄτη ἄτη* et suff. *αλος*) [4]), *κριθή*

---

[1]) Cf. Fiedler. *Griech. Gesch.* pag. 21. [2]) Cf. Benfey II 43. — [3]) G. Curtius. De nominum graecorum formatione, pag. 20. — [4]) Benfey I 30.

(χρί), *μόχθος* *(μόγος)*, *μόθος* *(MA)*, *γνάθος* *(γέν-υς)*, *ψάμαθος*, *ἄμαθος* *(ψάμμος*, *ἄμμος)*, *κύαθος* *(KY)* etc. Vel etiam *σθ* inseritur: *ἰ-σθ-μός*, *ἱμά-σθ-λη*. Haud aliter ortum est *ὀφ-θ-αλ-μός* ab *οπ* *(ὄπτω)*. Atque sicut *τροχ-αλός* proprie est *currens*, *διδάσκ-αλος docens* (homo), *αἴθ-αλος ardens* (res), *κε-κρύφ-αλος occulens, recondens* (res), *κυδ-άλ-ιμος glorificans*, *ειδ-άλ-ιμος apparens*: ita *ΜΙΧΘΑΛΟΣ* valet *humectans* (res) = *nebula*. Litteram autem *α* persaepe praefigi nemo nescit. Qua de re inter alios Lobeck Path. Elem. pag. 14—46 copiosissime nuper disputavit et Savelsberg in Hoeferi Ephem. MDCCCLIII pag. 90 ss. Hinc *ἀ-μιχθαλό-εις* proprie est *nebulosus*. Nihil aliud est, id quod Heyne praetulit, *ὀ-μιχθαλό-εις*, cum eodem modo quo *α* etiam *ο* praefigatur (Lobeck l. l. pag. 77—86). Quod vocabulum si germanum esset, eandum rationem haberet ad *μιχθαλόεις*, quam *ὀκρυόεις* ad *κρυόεις*. Verum haud scio an falso apud Coluthum 208 scribatur *μιχθαλόεις*. Versus enim est

ἡ δ' ἄρα μιχθαλόεντος ἀπ' ἠέρος ὄμβρον ἰεῖσα,

qui versus facillimo modo ita potest corrigi, ut habeas epitheton illud Homericum, quod imitatum esse Coluthum persuasum habeo: *ἡ δ' ἄρ' ἀμιχθαλόεντος κτλ.* Scripturae *ὀμιχθαλόεις* suffragatur similitudo vocabulorum *ὀ-μίχλη*, *ὀ-μιχλώδης*..., alteri librorum omnium auctoritas. Sed cum significatus idem sit, ne longius hac in re moremur. Inutilem autem liquet esse coniecturam *ἀμυγδαλόεσσαν*. Doederl. III.

At si nihil aliud hoc epitheton nisi *nebulosus* valeat, quidni dixerit poeta *ἠερόεσσα?* quid vocabulo tam raro utitur? Lemnus insula montibus, e quorum vertice ignes erumpebant, insignis ideoque Vulcano sacra erat et *Αἰθάλη* appellabatur et inerat urbs, cui nomen erat Hephaestiae. Plin. H. N. IV. 23. Qua de causa nullum insulae cognomen significantius foret quam *vapore involutae*. Notiones autem *nebulae*, *vaporis*, *fumi* naturali quadam cognatione coniunguntur et in omnibus linguis inter se commutantur; Homerus ipse vel eo progreditur, ut *ὀμίχλη* de pulveris nube dicat *N* 336:

οἵ τ' ἄμυδις κονίης μεγάλην ἱστᾶσιν ὀμίχλην.

Ἀργινόεις

cognomen Lycasti et Camiri urbium est, quae in montibus cretosis iacebant. *B* 647. 656. — Benfey II 340 ductum esse docuit ab *ἀργινο* [1]) = *ἀργεννο*, quod positum esset pro *ἀργεσ-νός*, ut *κλεεννός* pro *κλεεσ-νός*; *ἀργες* autem inveniri in vocabulo *ἐναργής*. Probabilior videtur esse ea ratio, ut a substantivo *ἈΡΓΙΝΟΝ* = *ἄργῖλος*, quod ex *ἀργιλ-ιος* factum est, origo repetatur. Arginon enim promontorium est, cuius mentionem facit Thucydides VIII 34; quod utrum *Ἀργῖνον*, an *Ἀργῖνον* scribendum sit, dubitatur. Idem nomen postea *Ἄργεννον* sonat (Strab. XIV 645), cuius mutationis sine dubio adiect. *ἀργεννός* causa est. Equidem apud Thucydidem *Ἄργινον* scribendum esse coniiciam et ex cretae copia illud promontorium appellatum suspicer. Antiquissimis enim temporibus ex rebus, quas terra aliqua gignebat, vel ex terrae proprietatibus regionem ipsam appellare moris erat. Hinc *Ἄργιλος* (urbs Thraciae), *Ἄμαθος*, *Ἕλος*, *Αἰγιαλός*, *Βῆσσα*, *Ἠιόνες*, *Θρύον*, *Κυπάρισσος*, *Σχοῖνος*, *Ὕλη* alia sexcenta. Itaque in nomine illo proprio substantivum, unde *ἀργινό-εις* ortum esse appareat, deprehendisse mihi videor. Atque cum urbes illae in montibus cretosis iacerent, *ἀργινόεις* non verterim *albicans*, sed *cretosus*. Idem ratione, qua in libro Iliadis secundo urbes poeta describere solet, statuere iubemur: Aulis enim cognomen habet *πετρήεσσα* *B* 496, idem Pytho 519 et Calydon 640, Haliartus *ποιήεις* 503, Epidaurus *ἀμπελόεις* 561, Lacedaemon *κητώεσσα* 581, Enispe *ἠνεμόεσσα* 606, Pyrasus *ἀνθεμόεις* 695, Ithome *κλωμακόεσσα* 729.

[1]) Cf. epitheton Hesiodeum *ἀλγινόεις* ab adiectivi *ἀλγεινός* neutro (= *ἄλγος*) factum.

Βροτόεις cruore obtectus, cruentus: — *ἔναρα* *Z* 480, *Θ* 534, *Κ* 528. 570, *O* 347, *P* 13. 540, *X* 245, — *ἀνδράγρια* *Ξ* 509.

Ἐρσήεις rorulentus, — *λωτός* *Ξ* 348, per translationem de corpore Hectoris *Ω* 757 et 419, quo loco *ἑερσήεις* legitur.

Εὐρώεις

situ et squalore obtectus de Tartaro tantum dicitur: — *εὐρώεντα κέλευθα* ω 10, — *οἰκία εὐρώεντα* *Y* 65, — *δόμος εὐρώεις* *K* 512, ψ 322. Doederlein Gloss. Hom. I 7 et origine et significatione hoc epitheton esse idem quod *ἠερόεις* docet; priscam, ait, Dorum esse vocem, eodem modo, quo *ἥλιος* ab *ἀνάλιος* (*ἄνω*), ab *αὐερόεις* factam: *αε* ob sequens *ω* mutatum in *ευ*. Verumenimvero ex *ἀνάλιος* factum esse *ἥλιος* credat Iudaeus Apella: multo melius de huius vocabuli origine inter alios disputavit Benfey I 458. Ut exstiterit prisca vox *αὐερόεις*, at qui poterat fieri, ut eius vocalis causa, quae (fac *αυερ* esse etymon), utpote una cum syllaba *εις* suffixa, posterioris sane originis est (*ω*), ipsius etymi principalis syllaba tam mire mutaretur? In reliquis epithetis in *ω-εις* exeuntibus ob etymi sonum *ω* positum est neque *η* vel *ο*. Denique si *εὐρώεις* nihil aliud esset nisi *ἠερόεις*, quanam de causa priscam illam Dorum vocem poetam recoxisse arbitretur vir doctissimus, cum praesertim iisdem rebus alias epitheton *ἠερόεις* Homerus tribuat?

Neque ab *εὐρύς* fieri potest *εὐρώεις*; nam aut sonare id oportebat *εὐρυόεις*, quod neque metro convenisset, veluti *ὀξυόεις*, *εὐρυοδίνης* *Strab.*, *ὀξυό-ρυγχος* *Hesiod.*, aut *εὐρύεις*, sicut *εὐρύ-πορος*, *εὐρυ-μέδων* .... facta sunt. At a subst. *εὖρος*, ut *κητώεις* a *κῆτος*, *κηώεις* a *ΚΗΟΣ*, poterat fieri *εὐρώεις*; verum nescio an tum *εὐρήεις* scribendum fuerit, ut *αἰπήεις* ab *αἶπος*, *τελήεις* a *τέλος* oriuntur: nam causa, quam propter non *κητή-εις*, *κηή-εις* dicatur, in vocabulo *εὖρος* deest. Sed fac ab *εὖρος* esse ortum *εὐρώεις*, quid tum sonat? *Spatiis latis sive vastis instructus, spatiosus.* Verum haec interpretatio sane quam ineptam sententiam locis Homericis supra laudatis efficit.

In Odyssea enim ω 10 viae ad Tartarum ducentes *εὐρώεντα κέλευθα* appellantur:

— — — *ἦρχε δ' ἄρα σφιν*
Ἑρμείας ἀκάκητα κατ' εὐρώεντα κέλευθα.

Iam vero, cum in nullo versuum antecedentium ne vocabulo quidem Tartari mentio facta sit, epitheto *εὐρώεντα* significationem inesse oportet talem, quae de Tartaro cogitare auditorem cogat. Nam ne miserrimorum quidem carminum scriptor *vias spatiosas* ad Tartari regna designanda sufficere sibi persuasisset: nedum vatum princeps. — Itemque se habent Iliadis versus *Y* 65—68, quo uno loco Iliadis illud epitheton reperitur. Plutonem enim narrat Homerus e solio exsiluisse metuentem, — — *μή οἱ ὕπερθεν*

γαῖαν ἀναῤῥήξειε Ποσειδάων ἐνοσίχθων,
οἰκία δὲ θνητοῖσι καὶ ἀθανάτοισι φανείη
σμερδαλέ' εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ.

Quid *domus spatiosae?* Atque, pone Tartari esse propriam locorum latitudinem, num id hoc loco urgendum fuit? Melius hercle Homerum intellexit Vergilius, qui, illum imitatus, dixerit VIII 241 ss.

At specus et Caci detecta adparuit ingens
regia et umbrosae penitus patuere cavernae,
non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens
infernas reseret sedes et regna recludat
pallida, dis invisa.

Inspiciamus deinde κ 512. Cum ex Circe Ulixes quaesiisset, quonam in Tartarum profecturus itineris duce uteretur, cum eo nemodum navi pervenisset: dea responsum dedit, nullo ipsi duce opus esse, sed Boreae flatu navem provectum iri; Oceanum autem transvectus, cum ad Proserpinae lucum pervenisset, tum navem subduceret, —

αὐτὸς δ' εἰς Ἀΐδεω ἰέναι δόμον εὐρώεντα.

Notio *spatiosi* hoc loco quasi contradictionem exhiberet; certe, a Circe prolata, ineptissima foret. Nam fac Tartari proprietatem esse eam, ut sit spatiosissimus, quis tum Ulixis dux in spatioso regno erit? Num poetarum humillimus deam epitheton tam vagum pronunciantem induxerit? Aptissime vero loquentem deam facit Homerus, dummodo interpreteris *in domum situ et squalore obsitam.* Dea enim, quae ipsa in insula amoenissima, arboribus floribusque ornata, habitet, de horrendo Tartaro cogitans, contraria eius natura animo perculsa, id quod sentit, hoc uno vocabulo exprimit. Itaque et hoc loco et caeteris omnibus — nam qui locus restat, ψ 322, ad κ 512 dumtaxat referendus est — descriptio prodit admirabilis, si *εὐρώεις*, ut ab initio statuimus, interpretaris et ab *εὐρώς, ῶτος* factum esse acceperis. Neque enim grammatices regulae huic rationi obstant, cum plurima vocabula in *ως, ωτος* exeuntia haud raro etiam consonanti littera *τ* careant: *γέλως*, Dat. *γέλῳ*, Acc. *γέλω* alia. Cf. Lobeck. El. Path. p. 352.

Dubitari nequit, quin illa Tartari natura poetae romani animo obversata sit, cum, ut transeam creberrima epitheta *tenebrosus, ater, niger,* quae inferorum sedibus tribuit, non tantum Charontis cymbam *ferrugineam* dicat, sed etiam portitorem ipsum hunc in modum describat VI 298:

Portitor has horrendus aquas et flumina servat
terribili squalore Charon, cui plurima mento
canities inculta iacet, stant lumina flamma,
sordidus ex humeris nodo dependet amictus.

Consentit cum Homerico usu Hesiodus: Theog. 731 *χώρῳ ἐν εὐρώεντι* i. e. in Tartaro, item 739 = 810 *πάντων πηγαὶ καὶ πείρατα — — εὐρώεντα, τά τε στυγέουσι θεοί περ* (cf. Il. *Τ* 65), — op. 152 *βῆσαν ἐς εὐρώεντα δόμον κρυεροῦ Ἀΐδαο.* Consentit Sophocles dicens *τάφος εὐρώεις* Aiac. v. 1146, quod si cum Godofredo Hermann vertas *sepulcrum vastum*, *spatiosum*, omnis venustas atque elegantia diluitur. Conferatur etiam Quint. Smyrn. XIV 241 *τύμβος εὐρώεις.*

Eiusdem originis similisque significationis est *εὐρώδης* Soph. Ai. v. 1190:

Τίς ἄρα νέατος ἐς πότε λήξει πολυπλάγκτων ἐτέων ἀριθμὸς
τὰν ἄπαυστον αἰὲν ἐμοὶ δορυσσόντων
μόχθων ἄταν ἐπάγων
ἀν' εὐρώδη Τροΐαν,
δύστανον ὄνειδος Ἑλλάνων;

In promptu est, non tam *late patentis spatii* notionem hoc loco esse primariam, quam infelicitatem; abundant enim hoc in choro imagines tristes. Qua de causa multo melius vertit Doederlein Gloss. I. 7 *»im trüben, finsteren, unglückseligen Troja«*; miror tamen quod non contulerit alterius strophae vocem *λυγρᾶς μνήματα Τροίας.* Quod vero *εὐρώδης* idem esse quod *ἠεροειδής* opinatur, ei non consentiendum est. Sicut *εὐρώεις* factum ab *εὐρώς*, ita etiam *εὐρώδης*. Neque per translationem dictum esse *εὐρώδης* mihi videtur, sed propria significatione accipiendum censeo. Nam attende ad antistropham:

Ὤφελε πρότερον αἰθέρα δῦναι μέγαν ἢ τὸν πολύκοινον Ἅιδαν
κεῖνος ἀνήρ, ὃς στυγερῶν ἔδειξ' ὅπλων
Ἕλλασι κοινὸν Ἄρη.
Ἰὼ πόνοι πρόπονοι.
Κεῖνος γὰρ ἔπερσεν ἀνθρώπους — —

vel 1210 *λυγρᾶς μνήματα Τροίας*, vel 1214 *νῦν δ' οὗτος ἀνεῖται στυγερῷ δαίμονι*. De nulla fere alia re cogitant viri lugentes nisi de exitio et miseria funeribusque, quorum Troia causa fuerit. Quapropter equidem verterim *im Troerland dem moderartigen, im Troerland mit seinem Grabesmoder*. Aiacis sane mors effecit, ut milites acriter commonerentur de innumeris illis Graecis, quibus Troia exitio fuisset, ita ut omnis Troia tanquam commune sepulcrum esse illis videretur, *τάφος εὐρώεις*, ut est v. 1146.

Ἠερόεις caliginosus: — Tartarus *Θ* 13, — *ζόφος* = obeuntis solis partes *M* 240, — *ζόφος* = Tartarus *O* 191, *Φ* 56, *Ψ* 51, *λ* 154, *ν* 241, — *κέλευθα (εἰς τὸν Τάρταρον)* *υ* 64.

Ἠμαθόεις arenosus (=litus arenosum habens): — Pylus *α* 93, *β* 214. 326. 359, *δ* 633, *λ* 256. 458, *ω* 151, *B* 77, *I* 153. 295, *Λ* 711. De mira Strabonis interpretatione supra iam satis dictum est.

Θυήεις procul dubio differt a *Θυόεις*. Illud reperitur in versu solemni *ἔνθα δέ οἱ τέμενος βωμός τε θυήεις* *Θ* 48, *Ψ* 148, *θ* 363, hoc *O* 153:

εὗρον δ' εὐρύοπα Κρονίδην ἀνὰ Γαργάρῳ ἄκρῳ
ἥμενον· ἀμφὶ δέ μιν θυόεν νέφος ἐστεφάνωτο.

Illud factum esse patet a *τὸ θύος* (vide supra), quod sacrificium cuiusvis rerum generis, quae concremari possint (*θύω*), significat; est ergo *θυήεις sacrificiis, rebus sacris, refertus*, unde nubi nulli hoc epitheton posse tribui elucet. Alterum vero epitheton ducendum est a *θύον*, quod proprie arborem quandam odoratam (*ε* 60), tum per translationem odorem suavem ipsum declarat: hinc *θυόεις* est *odore suavi repletus*. Cum *θύον*, non autem cum *θύος*, cohaeret etiam *θυώδης*.

Ἰόεις

Ψ 850 *αὐτὰρ ὁ τοξευτῇσι τίθει ἰόεντα σίδηρον,*
κὰδ δ' ἐτίθει δέκα μὲν πελέκεας, δέκα δ' ἡμιπέλεκκα.

Veteres partim interpretati sunt — *ἰοειδέα*, partim *ad sagittas fabricandas aptissimum*. Fuerunt etiam qui verterint *ferrugineum* vel etiam *venenatum*. Altera interpretatio abhorret ab omnibus etymologices et grammatices regulis. Nam quod isti volunt, nunquam syllaba *εις* potest declarari; tum in vocabulo *ἰός sagitta* vocalis *ι* producitur, neque causae, quibus alibi vocales corripiuntur, hoc in verbo sunt, et ut *ὠτώεις*, sic etiam *ἰώ-εις* poeta enunciasset. Eadem ex causa de *veneno* (*ἰός*) vel de *ferrugine* (*ἰός*) cogitare vetamur. Tum fugit viros doctos *σίδηρον* in versu 850 nihil aliud esse, nisi quod sequitur versu 851 *πελέκεας, ἡμιπέλεκκα*; ut saepe, notio quae vocatur generalis praemissa est, specialis sequitur. *Secures* autem, quae praemia ab Achille proposita sunt, neque *ferrugineas* neque *venenatas* nec denique *ad sagittas fabricandas aptas* fuisse non est quod exponamus. — Quare miror equidem quod ii, quibus displicuit prima illa explicatio, non cogitaverint de vocabulo *ἴς*, neque statuerint *Fιο-Fεντ* congruere cum Romanorum *violentus*, ut supra habuimus *Fοινο-Fεντ* = *vino-lentus*, *ῥοδο-Fεντ* = *rosu-lentus*, *δροσο-Fεντ* = *roru-lentus*. Sed nolim novarum rerum esse cupidus adeo, ut veriora denegem. Si comparaveris inter se *ἠερο-ειδής, ἠερό-εις* | *ἀστερο-ειδής, ἀστερό-εις* | *ἰχθυο-ειδής, ἰχθυό-εις* alia, etiam *ἰο-ειδής*

et *ἰό-εις* a diversissimis etymis duci negabis. Eadem utrique est origo, alterum est ***violae speciem habens***, = ***violaceus***, alterum ***violarum colore indutus*** = ***violaceus*** = *ἰοδνεφής* γ 134, ι 426. Atqui *ἰοειδής* congruit cum *κυάνεος*. Quo nullum epitheton ad o p t i m i ferri colorem designandum aptius est. — Homerum imitatus est Quintus Smyrnaeus VI 48 *αὐτίκα οἱ κεφαλὴν τεμέω ἰόεντι σιδήρῳ.*

Κ η ώ ε ι ς (*ΚΗΟΣ* = *θύος* a *καίω*, *ἔκηα*) ***odoribus (accensis) repletus***: — *θάλαμος* **Γ** 382 *ἐν θαλάμῳ εὐώδεϊ κηώεντι*, **Z** 288, **Ω** 191, **ο** 99 *ἐς θάλαμον κατεβήσατο κηώεντα*. Mire novavit D o e d e r l. III. qui vertit ***voll von Behältnissen*** (*κίω, χάω*), sed lege D a m m. Lex. Hom. s. v.

Κ ν ι σ ή ε ι ς ***nidore plenus***: *δῶμα* κ 10. Non est quod ***nidor*** (***cnidor***) et *κνίσα* cognata esse moneam.

Λ α χ ν ή ε ι ς ***lanosus, pilosus, hirsutus***: — *συὸς δέρμα* **I** 548, — *φῆρες* **B** 743, — *στήθεα* (intell. Vulcani) **Σ** 415. — *ὄροφος* **Ω** 450.

Λ ε ι ρ ι ό ε ι ς ***liliorum colore indutus***: **N** 830 *δόρυ τοι χ ρ ό α λειριόεντα δάψει*. Fit autem fere in omnibus linguis, ut, quae rerum proprietates in visum cadant, eaedem ad auditum referantur, veluti et ***clarissimum lumen*** et ***claram vocem*** Latini dicunt, Germani ***heller Glanz***, ***heller Ton***; itaque **Γ** 152 cicadarum cantus dicitur *ὄψ λειριόεσσα*, cantus quasi liliorum claritate praeditus, ***lilienrein***.

Λ ω τ ό ε ι ς ad explicandum versum **M** 283 *καὶ πεδία λωτοῦντα καὶ ἀνδρῶν πίονα ἔργα* supponitur. Nam sic Aristarchus et editio Massiliensis traduntur legisse pro *λωτεῦντα*, quod ab reliquis exhibetur et ad verbum *λωτέω* ***floreo*** pertinet; Schol. *λ ω τ ε ῦ ν τ α*: *ποτέ, οὐκ ἐν τῇ χιόνι*. V. Sed etiam *λωτοῦντα* aliter explicandum est ac fere fit. Etenim inter tam multa epitheta Homerica in *όεις* exeuntia ne unum quidem reperitur, cuius syllaba antepenultima producatur, cum, ubi etymi syllaba penultima longa est, *ώεις* evadat; neque unum est, quod *όεις* in *οῦς* contrahat. Quare si Homerus ipse *λωτοῦντα* dixerit, id a verbo quodam *λωτοῦν* ***lotum procreare*** orginem repetere suspicer. Cf. *τεκνόω, καρπόω* etc.

Μ ο ρ ό ε ι ς

Ξ 183, **σ** 298: *ἕρματα τρίγληνα μορόεντα*. Pars veterum interpretum ab ipso verbo *μείρω* ***partiri*** ductum esse voluere, ita ut *τρίγληνα μορόεντα* significaret ***tripartita*** vel potius ***dreisternig getheilt***. Verum ea interpretatio quam maxime abhorret a vi et significatione syllabae *εις*. Alii vocabulum, ductum a *μόρος*, significare contenderunt ***plenus laboris, multo cum labore confectus***. Quae significatio quomodo possit effici, nihilo magis perspicuum est, cum praesertim *μόρος* nusquam ***laborem*** declaret. Qua de causa alii notionem ***fatalis*** praetulerunt; verum ea in locos illos minime convenit, cum priori loco Veneris ornamenta, altero dona ab Eurydamante Penelopae destinata describantur. Aptissimam autem sententiam habes, si clari E r n e s t i interpretationem sequeris: *μορόεις* = ***muri colore indutus***. *Μόρον* ***murum*** quidem apud ipsum Homerum non invenitur, sed idem cadit in permulta epithetorum in *εις* exeuntium etyma, neque certe quisquam ***muros*** et ***mura*** Homeri temporibus ignotas fuisse res statuet. Neque *ῥόδον* quidem nec *λείριον* exstant apud illum, at vero *ῥοδόεις* et *λειριόεις*. Atque sicut *ἰόεις* est ***violarum***, *λειριόεις* ***liliorum***, *φοινικόεις* ***purpurae***, *ῥοδόεις* (quale quidem apud Euripidem, qui *ἄνθεα ῥοδόεντα* dicat, exstat) ***rosarum colore indutus***: ita *μορόεις* ***murorum*** vel ***muri*** i. e. ***nigricanti colore indutus***. Nihil enim obstat, quin Homeri iam temporibus gemmas nigricantes magni pretii fuisse statuamus; saltem apud Romanos maximi fieri solebant, qua in re exponenda copiosissimus est Plinius in Hist. Nat. III. 17 ss. 25 ss.

Quae cum ita sint, nequaquam recurrendum esse censeo ad linguas peregrinas, id quod B e n f e y I 480, cum de sanscrito ***mala - macula*** monuerit ac ***»gesprenkelt, glänzend«*** reddiderit germanice, et philologus supra laudatus, qui nomen suum graece redditum in ***Ephem. litt. cathol.*** litteris *λκ* significare solet, fecerunt. Is enim, pag. 148 et 149 de compluribus vocibus Homericis

disputans, etymon in sanscr. ***smara-amor*** deprehendisse sibi videtur; idem, a rad. ***smṛ*** (=***memorem esse, desiderare, amare***) ductum, in *σμάρ-αγδος* ait inveniri; litteram autem *σ* abiici etiam in aliis eiusdem radicis vocabulis *μάρ-μαρος, μαρ-μαίρω*; hinc *μορόεις* vertendum esse ***gratiosus, splendidus*** (»***lieblich, glanzvoll***«). Quae interpretatio quin verissima sit, neminem ille arbitratur in dubio relinqui verbis, quae ab Homero adduntur, *χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλή*. Verumenimvero tantum mihi quidem videtur abesse, ut isti interpretationi suffragentur haec verba, ut eam confutari iis ipsis haud difficile ad demonstrandum sit. Praemittenda autem quaestio, quid sint *τρίγληνα ἕρματα*. Ab *γλήνη* hoc vocabulum duci nemo ignorat: atque *γλήνη* cohaeret cum *γλῆνος, γλαυκός, γλαύσσω, ἀ-γλα-ός, γλαυρόν, γλαυσόν* etc., quibus vocibus omnibus notio splendendi communis est [1]; *γλήνη* igitur pupulam ut lucentem vel radiantem declarat; neque ullo pacto potest fieri, ut notionem ***foraminis*** induat, id quod illi, qui *τρίγληνος* ***tria foramina habens*** verterunt, opinantur: prorsus enim alia est eorum vocabulorum ratio, quibus propria significatio ***videndi*** inest; ea sane foraminis notionem inducere possunt, veluti *ὀπή* (ab *ὄπτω*) ***res per quam videri possit***, *ὀπήεις, ὀπαῖος* alia; a *γλήνη* autem, quae eius significatio est, is usus quam maxime abhorret. Itaque *τρίγληνος* non est ***tria foramina habens***, sed ***tres pupulas habens*** i. e. ***tribus gemmis splendentibus ornatus***. Haberes igitur, si in collegae sententia esses, eandem notionem ter expressam: 1, *τρίγληνα*, 2, *μορόεντα*, 3, *χάρις δ' ἀπελάμπετο πολλή*. Multo melius haec vocabula in sententiam quadrare videntur, si, quemadmodum supra expositum est, epitheton *μορόεντα* acceperis. Crotalia enim trinis gemmis nigricantibus composita, sive sunt smaragdi seu carbunculi seu aliae gemmae coloris obscurioris, mirum quantum splendere necesse est, quod quin adiiciat poeta, cuius animo imago illa obversetur, fieri vix potest. Quae omnia consideranti unus Ernesti his locis Homerum intellexisse mihi quidem videtur. Consentit Nicander dicens *μορόεν ποτόν, φρῦνος μορόεις, μορόεντος ἐλαίας* Al. 129. 455. — Idem epitheton bis apud Quintum Smyrnaeum Homeri imitatorem invenitur: I 152 *τεύχεα μορόεντα* et IV 402, quem locum Doederlein non vidit:

τοῖσι δ' ἄρ ἐσσυμένως καὶ ἀμαλθέα τύμματα φωτῶν
αὐτῆμαρ μορόεντος ὑπὲκ κακοῦ ἰαίνονται.

Quibus ex locis ipsis, cuinam interpretationi is assensus sit, satis elucet: sed id ne moremur.

Restat ut miram quandam versus Homerici scriptionem commemorem: fuere enim inter veteres qui scriberent: *ἕρματα τρίγλην' ἀμορόεντα*. Huc sine ulla dubitatione referenda sunt, quae Apollonius in Lex. Hom. adnotavit: *ἀθάνατα, μόρου μὴ μετέχοντα*. Praeterquam quod haec in crotalia ab Eurydamante Penelopae donata minime conveniunt, neque omnino sanam cogitationem exhibent, dispici haudquaquam potest, quasnam regulas talis vocabuli fabricator secutus sit, cum alpha privativum et syllaba *μς* vel maxime inter se discrepent. Si qui vero inter veteres de alpha intensivo quod vocant cogitavere, cadit in eos idem, quod ab initio de veterum epitheti interpretatione proposuimus. Alium in modum hanc lectionem explicans Doederl. III ita in suum usum convertit, ut originalem formam fuisse statuat *ἠμαρόεις* (ab *ἦμαρ. ἀμαρύσσω*) »***voll Glanz.***«

Μυελόεις medullae plenus: *ὀστέα ι* 293.

Νιφόεις nive obtectus, nivosus: Tmolus *Υ* 385, — *ὄρος N* 754, *ὄρεα Ξ* 227, *τ* 338.

Ποιήεις graminosus: — Haliartus *B* 503, — Dulichium *π* 396, — Hira, Messeniae urbs, *I* 150 = 292, — *πίσεα Υ* 9, *ζ* 124, — *ἄγκεα δ* 337 = *ρ* 128.

---

[1] Cf. Lucas. Quaest. lex. et etym. §. 41 ss. Lucas. De Minervae cognomento *γλαυκῶπις*. Bonn. 1851. — Benfey II 124. — Doederlein. Gloss. I 78.

Ῥοδόεις.

Ψ 186 ***ἔλαιον ῥοδόεν*** nullo modo potest esse »oleum ex rosis c o n f e c t u m«; nam neque talis est vis syllabae ***εις***, et ***ἔλαιον*** apud Homerum declarat oleum ex o l i v i s (***ἐλαῖαι***) factum. Neque est ***oleum rosarum colore indutum***, cum is non proprius olei color sit; sed est ***oleum rosarum odore infectum.*** Cf. *β* 339 ***ἅλις τ' ε ὐ ῶ δ ε ς ἔλαιον.*** Sicut in ***λειριόεις, ἰόεις***... etyma ***λείριον, ἴον*** non flores i p s o s significant, sed proprium eorum colorem, ita hoc in epitheto ***ῥόδον*** ad proprium rosarum odorem declarandum positum est. Aliter explicanda sunt Euripidis ***ῥοδόεντα ἄνθεα,*** Iphig. Aul. 1298:

> *λειμών τ' ἄνθεσι θάλλων χ λ ω ρ ο ῖ ς,*
> *καὶ ῥ ο δ ό ε ν τ' ἄνθεά θ' ὑ α κ ί ν θ ι ν ά τε θεαῖσι δρέπειν.*

Nam ibi de colore esse cogitandum ex ipsis verbis apparet.

Τ ρ ο φ ό ε ι ς proprie ***esculentus, cibo*** (*τροφή*) ***refertus = bene nutritus, crassus: κύματα*** *O* 621, *γ* 290: cf. ***Λ*** 307 ***τρόφι κῦμα.*** (De vocali *o* vide supra.)

Φ ο ι ν ι κ ό ε ι ς (φοῖνιξ purpura) purpurae colore inductus: χλαῖνα *K* 133, *ξ* 500, *φ* 118. — ***σμώδιγγες αἵματι φοινικόεσσαι*** Ψ 717. Ex hoc vocabulo B e n f e y II 109 arbitratur esse ortum:

Φ ο ι ν ή ε ι ς, cum ***φοινός*** quasi forma sit ea, quam punicum vocabulum ***φοῖνιξ*** apud Graecos induerit. At primum ***φοῖνιξ*** ipsum externum vocabulum esse non liquet. Tum certe ex ***φοῖνιξ*** oriri posse ***φοινός*** negandum videtur. Melius profecto ii, qui ***φοινός, φοίνιος*** etc. eiusdem cuius ***φόνος, φονή, φονεύς*** etc. esse originis docent. Invenitur hoc epitheton uno tantum versu ***M*** 202 = 220:

> *— — — αἰετὸς ὑψιπέτης —*
> *φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον*
> *ζωόν, ἔτ' ἀσπαίροντα.*

Optimo iure conferunt nonnulli ***B*** 308 ***δράκων ἐπὶ νῶτα δαφοινός.*** Quam enim rationem ***δάσκιος*** ad ***σκιόεις***, eandem ***δαφοινός*** ad ***φοινήεις*** habere videtur. Quapropter nolim cum aliis interpretibus cogitare de sanguine stillante, sed tantum de sanguinis colore et verterim ***sanguinis colore indutus.*** Etymon autem nullum aliud potest esse nisi ***ΦΟΙΝΗ = 1, caedes, 2, sanguis effusus,*** sicut et ipsa ***φόνος, φονή*** hac duplici significatione inveniuntur: ***κεῖσθαι ἐν φονῇ*** *Ω* 610 et saepius, qua de re lexica consulas. Ex a d i e c t i v o autem ***φοινός*** fieri nequit ***φοινήεις.*** Nam aut ***φοινός*** est ***sanguinolentus:*** quid tum sibi vellet ***sanguinolenti plenus?*** aut est (sit verbo venia) ***occisorius;*** tum minus etiam ex ***φοινός*** potest fieri ***φοινήεις.*** Quare, ut pro ***φόνος*** nonnulli dicebant ***φοινος*** Nic. Al. 187, pro ***φονή*** etiam in usu fuisse ***φοινή*** statuendum videtur.

Φ υ κ ι ό ε ι ς alga oppletus: — θίς Ψ 693.

Ψ ο λ ό ε ι ς fuliginе, fumo indutus, fumosus: — κεραυνός *ψ* 330, *ω* 539.

Caput VII.

Venimus ad epitheta ducta a s u b s t a n t i v i s u t a i u n t a b s t r a c t i s, quae quidem res declarant, quarum nec numerus nec mensura possit iniri, nisi forte per translationem posita sunt, velut ***δόλος = dolus,*** quod non tantum ***astutiam***, sed etiam ***rem astute gestam*** significat; similiter se habent ***τέχνη, τιμή,*** alia. Horum epithetorum etyma s i n g u l a r i f e r e n u m e r o esse accipienda in promptu est.

Αἰγλήεις splendore indutus: — Olympus *A* 532, *N* 243, *υ* 103.

Αὐδήεις sermone humano praeditus, utens, orationis particeps: — *θεός* (Circe, Calypso) *κ* 136. *λ* 8, *μ* 150. 449, — *ἄνθρωπος ζ* 125, *βροτός ε* 334, — Xanthus, Achillis equus *T* 407.

Δολόεις dolosus: — Calypso *η* 245, — Circe *ι* 32, — Vulcani quoddam artificium, *δέσματα θ* 281.

Ἱμερόεις, proprie *desiderii plenus*: *γόος κ* 398, et per translationem *desiderium, appetitum magnum movens, valde desideratus*: — *ἀοιδή α* 421 = *σ* 304, — *(ἀείδειν) ἔπεα ρ* 519, — *ἱμερόεν* (adv.) *κιθαρίζειν*, — *ἔργα γάμοιο E* 429, — *στήθεα Γ* 397, — *χρώς Ξ* 170, — *χορός Σ* 603, *Χαρίτων χορός σ* 194.

Κοτήεις irae, odii plenus: θεός νύ τίς ἐστι κοτήεις E 191.

Κρυόεις frigoris plenus, frigidus, horridus: ἰωκή E 740, *φόβος I* 2. — Idem valet *ὀκρυόεις*, nisi quod vocalis *o* praefixa vim intendit: — *πόλεμος I* 64, — Helena *Z* 344.

Μητιόεις consilii plenus: — *φάρμακα δ* 227. Non sunt medicamina *artificiose confecta*, sed quae tanquam ad omnes res hominibus consilium auxiliumque praebeant itaque *consilii plena* sint. Nam versibus et antecedentibus et subsequentibus 220 ss. 230 ss., quibus rebus Helenae medicamina auxilientur, exponitur.

Σιγαλόεις.

Ἡνία E 226. 328, *Θ* 116. 137, *Λ* 128, *P* 479, *ζ* 81, — *δέσματα X* 468, — *θρόνος ε* 86, — *ὑπερῷϊα π* 449, *σ* 206, *τ* 600, *χ* 428, — *εἵματα X* 154, *ζ* 26, — *ῥήγεα ζ* 38, *λ* 188, *τ* 318. 337, *ψ* 180, — *ῥῆγος ν* 118, — *χιτών ο* 60, *τ* 232. Fuere inter veteres qui vocabulum interpretarentur *ἁπαλός, εὐδιάσειστος*; cf. Schol. ad *E* 226. et al. Frenis quidem et vestibus convenit ea significatio, sed minime cadit in sellas, in superiores domunm partes. Multo magis etiam explodendi sunt ii, qui *σιγαλόεις* explicaverunt *spumatus*; illos enim cogitasse apparet de solis equorum frenis; enimvero multo saepius illud epitheton tribuitur rebus, in quas nec spuma nec saliva (*σίαλον*) cadit. Vix quisquam hodie epitheton aliter interpretatur atque *λαμπρά, ποικίλα καὶ θαυμαστὰ τῇ κατασκευῇ*, ut est in Schol. *E* 226. Nam haec una significatio in res supra enumeratas omnes quadrat; haec una ab ipso Homero subiicitur. Eadem enim vestis, quae *τ* 232 vocatur *χιτὼν σιγαλόεις*, versu subsequenti hunc in modum describitur: *λαμπρὸς δ' ἦν ἠέλιος ὥς*. Cf. *Σ* 595 *χιτῶνας ἧκα στίλβοντας ἐλαίῳ*. Eadem vestimenta, quae *ζ* 26. 38 *εἵματα, ῥήγεα σιγαλόεντα* vocantur, versu 74 *ἐσθὴς φαεινή* designat. Frena alias sunt *λεύκ' ἐλέφαντι E* 583. Sellis autem ipsorum heroum adiiciuntur alias epitheta *ἀργυρόηλος, δαιδάλεος, καλός, περικαλλής, φαεινός*.

Difficilior est quaestio de vocis origine. Fuere qui eo usque insulsitatis progressi sint, ut vocabulum ducerent a *σίαλον saliva*. Alii statuerunt *σιγαλόεις* dictum pro *σιγηλόεις* et derivatum esse a verbo *σιγᾶν*: res enim illas, quibus epitheton tribueretur, talis describi pulchritudinis esse, ut, quisquis eas conspexisset, admiratione captus obmutesceret. Sed talis derivatio et a grammatices et a logices rationibus mirum quantum abhorret. Qui autem interpretantur *εὐδιάσειστος*, si de verbo *σείω* cogitaverint, videant, ne in maiorem etiam errorem, quam qui prae admiratione obmutescant, ceciderint. Neque vero *σίαλος porcus pinguis* (Hom.), *unguentum* (Hippocr.) verum etymon est. Qui enim fieri potest, ut littera *Γ* intrudatur? Quare de alia origine cogitandum est: quae quidem, quoniam vocabulum antiquissimum est neque post Homerum in communi usu fuit, altius esse repetenda videtur.

Nemini ignotum est vocabulum primitivum *ΓΑΛ nitere, splendere*, de quo permultae voces flexae sunt: *ἀγάλλω celebrare, ἀγάλλομαι clarescere* (*α* + *γαλ* + *jω*), *γαλ-ήνη* (mare, quando tanquam aequor splendidum est, sedatum, non perturbatum =) *malacia*; *γαλ-έη* (animal album =)

mustela, γαλερός serenus (albus), ***γάλ-ακες*** genus concharum levium ac nitidarum, *γλήνη, γλῆνος*, alia multa. A *γαλ* igitur nomen subst. nescio cuius formae (*γάλη, γάλος, γάλς* ut *ἅλς* ab *ἁλ* — *ἅλλομαι?*) ***splendorem*** significans factum esse haud incredibile est; illoque ex substantivo secundum regulas, quas exposuimus, ductum est ***γαλόεις splendore praeditus, splendidus***. Quodsi igitur praefixum esse ***ΣΙ*** evinci possit, res illa difficillima soluta esse videatur.

Marcianus apud Steph. Byz. mentionem facit populi cuiusdam, cui nomen fuit ***Σιαγαθουργοί:*** apud Plutarchum et alios occurrit ***ἀγαθουργός***. — Pro ***σίναπι*** Attici dicunt ***νᾶπυ***. — ***Σιαγών maxilla***, quod vocabulum se derivare non posse Benfey ingenue profitetur, facillime explicatur, modo ***Σι*** praefixum esse agnoveris. Quemadmodum a ***στάζω*** fit ***σταγών gutta (id quod defluit)***, ab ***ὀλολύζω*** — ***ὀλολυγών***, ab ***ἀγώ*** — ***ἀγών***, ab ***εἴκω*** — ***εἰκών***, a ***σπάω*** — ***σπαδών***: ita a ***FAΓ***, ***ἄγνυμι***, fit ***ἀγών (id quod frangit)*** et, syllaba ***ΣΙ*** ad vim augendam praefixa, ***σι-αγών*** hoc est (si vocabulo uti liceat) ***perfractor (ciborum), molitor (ciborum) = maxilla***. — ***Σι-κελ-ία*** et ***Σι-καν-ία*** eadem insula vocatur. Atque ***ΚΕΛ*** idem est quod ***ΚΑΝ, ΚΕΝ trudere: κέλλω*** (ex ***κελ-jω***), ***cello μά-κελλα*** (***μα = μία***) ***rastrum sed uno tantum dente instructum, δί-κελλα rastrum duobus dentibus instructum***. Hinc ***Σι-κελ-ία*** = (angulos, cuspides habens) ***angulatus***. Idem valet ***Σι-καν-ία: ΚΕΝ*** habes in ***κέντρον instrumentum quo pungatur, cuspis, angulus***, in ***κέν-τωρ***, ***ΚΑΝ*** in ***καν-ών contus, καν-θός angulus, ἄ-κανθα spina*** etc. Ergo ***Σικελία*** et ***Σικανία*** nihil aliud valent quam eiusdem insulae nomina ***Τρινακρία*** (***τρεῖς, ἄκρος***), ***Θρινακία*** (***θρῖναξ tridens***), Triquetra, nisi quod haec nomina angulorum numerum addunt. — ***Σι-δήλη***, urbs Ioniae, ***Conspicua*** (= ***ἀριδήλη***). — ***Σι-νόη (Prudentissima)***, nymphae, quae Pana educavit, nomen, a ***νόος*** factum, ut alia multa dearum feminarumque nomina, v. g. ***Ἀρσι-νόη, Ἀγχι-νόη, Ἀλκι-νόη, Ἀντι-νόη, Αὐτο-νόη, Εὐ-νόη, Θεο-νόη, Ἰφι-νόη, Προ-νόη***, alia. — ***Σι-μηλίδας ovibus locupletis filius***, Spartani cuiusdam nomen, a ***μῆλον*** factum, ut ***Ἀριστο-μηλίδας, Θεο-μηλίδας, Θρασυ-μηλίδας, Εὔ-μηλος, Καλλί-μηλος, Θρασύ-μηλος***, alia. — ***Σί-ρωμος = Robustus*** (***ῥώμη***), nomen regis cuiusdam Cypri. — ***Σί-πυλος***, mons et urbs Asiae; etymon est ***πύλη***; cf. ***Ἀγχί-πυλος, Ἀστύ-πυλος, Δηί-πυλος, Ἔμ-πυλος, Εὐρύ-πυλος, Τηλέ-πυλος κτλ.*** — ***Σι-σύρβη Turbulenta***, Amazon quaedam; ***σύρβη = τύρβη turba***. — ***Σί-βυλλα*** quomodo a ***σιός*** (= ***θεός***) possit derivari non video; debebat enim fieri ***σιόβυλλα***, ut ***σιοκόρος*** pro ***θεοκόρος*** (= ***νεωκόρος***); est potius ***ΣΙ*** praefixum, ita ut valeat ***bene consulens***. — ***Σί-συφος*** dolis excellebat; iam vero ***σύφος*** aeolice est idem quod ***σοφός***. Sed potest esse ortum ***ΣΙ*** et hoc in vocabulo et in ***Σι-σύρβη*** per reduplicationem, quam vocant grammatici. Item in ***Σι-σύρα vestis villosa*** (***σύρω trahere***; cf. ***syrma***).

Quae omnia consideranti atque ponderanti videtur mihi fuisse antiquissimis temporibus praefixum quod vocant ***ΣΙ*** eiusdem significationis atque ***ἀρι, ἐρι***: hinc ***σιγαλόεις = σι + γαλο + Fεις, magno indutus splendore, splendidissimus. Γαλόεις: γαλερός = σκιόεις: σκιερός = χρυσόεις: χρυσερός.***

Στονόεις (gemitu plenus) luctuosus: — ***κήδεα ι*** 12, — ***ἀϋτή λ*** 383, — ***ὀϊστοί φ*** 12 = 60, — ***βέλεα Θ*** 159, ***Ο*** 590, ***Ρ*** 374, ***ο*** 180, — ***ἀοιδή Ω*** 721, — ***εὐνή ρ*** 102, ***τ*** 595.

Τελήεις,

non a verbo ***τελεῖν***, quod fieri nequit, sed a subst. ***τέλος*** ductum, proprie declarat ***eventu, effectu instructus, ornatus, eventum habens, efficax (vollendungs-, erfolgreich)***. Solis hecatombis tribuitur epitheton: ***τελήεσσαι ἑκατόμβαι Α*** 315, ***Β*** 306, ***δ*** 352. 582, ***ν*** 350, ***ρ*** 50. 59, quae locutio illustratur his versibus ***ρ*** 496:

εἰ γὰρ ἐπ' ἀρῇσιν τέλος ἡμετέρῃσι γένοιτο,
οὐκ ἄν τις τούτων γε ἐΰθρονον Ἠῶ ἵκοιτο.

Sunt igitur *τελ. ἑκ.* = *ἑκατόμβαι, ἐφ' αἷς τέλος γίγνεται*, sacrificia diis grata acceptaque. Simillimum in modum saepe vocabulo *τέλος* poeta utitur. *T* 107 *οὐ τέλος μύθῳ ἐπιθήσεις*. *Ψ* 369 *οὐδ' Ἀχιλεὺς πάντεσσι τέλος μύθοις ἐπιθήσει*. *B* 122 *τέλος δ' οὔπω τι πέφανται*. — Quemadmodum diximus, sic *τελήεσσαι ἑκατόμβαι* ab ipso Homero tantum non expressis verbis explicantur δ 582. Menelaus enim cum a diis in Pharo insula retineretur, neque venti secundi flarent, ab Eidothea admonitus, senem marinum cogit, ut sibi caneret, quid esset faciendum, quo ventos secundos nactus in patriam reveheretur; cf. 466 *οὐδέ τι τέκμωρ εὑρέμεναι δύναμαι, finem exoptatum invenire non possum.* Respondet Proteus, Iovi et aliis diis sacra lauta (*ἱερὰ καλ'*) esse facienda; antea enim fieri non posse, ut amicos reviseret et domum rediret, quam ad Nili undas reversus diis immortalibus sacra sollemnia fecisset (*ἱερὰς ἑκατόμβας*). Quae iussa effecit Menelaus v. 582:

ἂψ δ' εἰς Αἰγύπτοιο διιπετέος ποταμοῖο
στῆσα νέας, καὶ ἔρεξα τεληέσσας ἑκατόμβας.
αὐτὰρ ἐπεὶ κατέπαυσα θεῶν χόλον αἰὲν ἐόντων — —

Qua de causa eadem sacrificia, quae antea *καλὰ ἱερά* vocata sunt, hoc loco *τελήεσσαι ἑκατ.* dicantur, versu sequenti (*αὐτὰρ κτλ.*) manifestum fit; item quid sibi velit 351: *Αἰγύπτῳ μ' ἔτι δεῦρο θεοὶ μεμαῶτα νέεσθαι | ἔσχον, ἐπεὶ οὔ σφιν ἔρεξα τεληέσσας ἑκατόμβας.*

A 315 ea sacrificia, quibus tandem Apollo placatus est, vocantur *τελ. ἑκ.*: inerat his sacrificiis quasi votorum perfectio. — Notabilis est locus Iliadis *B* 306, quo Ulixes Argivis persuadet, ut manerent et perdurarent; iubet eos recordari vaticinii, quod Calchas edidisset, cum prope Aulida morarentur et diis sacra facerent: *ἔρδομεν ἀθανάτοισι τεληέσσας ἑκατόμβας.* Patet hoc vocabulo eo Ulixem usi consilio, ut maiorem etiam constantiam efficeret. Namque cum sacrificia olim fecissent, quae felicem eventum praesagirent, diis grata acceptaque essent efficerentque, ut Iuppiter Agamemnoni Troiam deletum iri promitteret (cf. 112 *ὃς πρὶν μέν μοι ὑπέσχετο καὶ κατένευσεν | Ἴλιον ἐκπέρσαντ' εὐτείχεον ἀπονέεσθαι*): Graeci magis etiam a fuga abhorrere debebant. — Item ρ 50 et 59 *τελήεσσαι ἑκατόμβαι* sunt sacrificia, qualia finem optatum habeant, diis placeant.

Quae cum ita sint, sacrificia ea, quae tantum, ut pro re feliciter gesta gratia diis persolvatur, alium in modum, non illo epitheto, describuntur: λ 132. ψ 279 *ἔρδειν ἱερὰς ἑκατόμβας.* — Et ubi Ulixis nutrix cum Iove quasi altercatur, quod dominum suum vehementi odio persecutus sit, quamquam plures ceteris mortalibus mactaverit victimas, habes *ἐξαίτους ἑκατόμβας* τ 366. — Ut hoc loco, sic etiam, ubicumque de universis sacrificiis dicitur, vocabulum *τελήεις* non convenit, e. g. η 202 (*ἀγακλειτὰς ἑκ.*). Neque magis convenisset *Ψ* 206 (cf. α 25), ubi Neptunus, ad Aethiopes, qui immortalibus victimas mactarent, se esse iturum annunciat; neque ε 101 *οὐδέ τις ἄγχι βροτῶν πόλις, οἵτε θεοῖσιν —ἱερά τε ῥέζουσι καὶ ἐξαίτους ἑκατόμβας*, nec γ 144, ubi Agamemnon milites retinere conatur, ut victimas caedant (*ἱερὰς ἑκ.*). Itaque cum *A* 315 legatur *τελ. ἑκ.*, iisdem de victimis loquens *A* 99. 142. 309. 431. 438, poeta optimo iure non utitur illo epitheto. Scilicet, qui apte fieri potest, ut ita dicantur victimae, quae in navem comportantur (*A* 142. 309) vel devehuntur (*A* 99. 431. ε 276), vel ex nave in terra collocantur (*A* 438. 447)? Perinde caeteros locos, qui vocem *ἑκατόμβαι* exhibent, rem si accuratius consideraveris, iustis de causis carere illo epitheto perspectum habebis, e. g. *A* 65 *εἴτ' ἄρ' ὅ γ' εὐχωλῆς ἐπιμέμφεται εἴθ' ἑκατόμβης* (cf. *A* 93), vel γ 58, ubi Minerva, Mentoris specie induta, hunc in modum precatur:

αὐτὰρ ἔπειτ' ἄλλοισι δίδου χαρίεσσαν ἀμοιβὴν
σύμπασιν Πυλίοισιν ἀγακλειτῆς ἑκατόμβης.

Τεχνήεις *artificiosus*: — *δεσμοί θ* 297 (cf. *δολόεις*) — Adv. *τεχνηέντως* (*πηδαλίῳ ἰθύνετο*) *ε* 270.

Τιμήεις *honoribus affectus, honestus*: *ν* 129 *ἔσομαι τιμήεις* (dicit Neptunus), *σ* 161 *τιμήεσσα γένοιτο* (Penelope), *α* 393 (*πέλεται*) *τιμηέστερος αὐτός*, — *δ* 614 = *ο* 114 (*δῶρον*) *ὃ κάλλιστον καὶ τιμηέστατόν ἐστιν* i. e. ***pretiosissimum***; *α* 312 *δῶρον τιμῆεν*, — *λ* 327, *θ* 393 *χρυσός*. Restant etiam duo loci, quibus *τιμήεις* contractum videtur: *I* 605 *οὐκέθ' ὁμῶς τιμῆς ἔσεαι πόλεμόν περ ἀλαλκών*, ubi alii *τιμῆς* legunt (cf. Lobeck. Path. El. pag. 141), et *Σ* 475 *καὶ χρυσὸν τιμῆντα καὶ ἄργυρον*. Sed cum Homeri temporibus syllabam *ες* digammo etiam instructum fuisse constet, neque unum quidem reliquorum vocabulorum in *ήεις* et *όεις* exeuntium a poeta contrahatur: interpretibus diffidendum esse apparet, dummodo aliter res possit explicari. Equidem arbitror, Homeri temporibus etiam floruisse adiectivum *τιμής* Gen. *ῆτος* (*τίμης ητος?*), quod eandem rationem habet ad *τιμήεις* quam *ἀργής* (Hom.) ad *ἀργήεις* (Pind.), ita ut priori loco legendum sit *τιμής*, altero *τιμῆτα*. Unde facillime temporibus sequentibus, quibus adiectiva in *ήεις* et *όεις* exeuntia contrahi solerent, per errorem fieri potuit *τιμῆς*, *τιμῆντα*. Neque vero rara sunt apud Homerum adiectiva in *ης*, *ητος* exeuntia: habes enim *ἀργής*, *ἀβλής*, *ἐπιβλής*, *προβλής*, *ἀδμής*, *νεοδμής* Hymn in Apoll., *ἀκμής*. — *πένης*, *κούρητες* (cf. *πλάνης* Soph.), alia. — Aliud contractionis exemplum nunc demum habemus in Od. *η* 110:

> *ὅσσον Φαίηκες περὶ πάντων ἴδριες ἀνδρῶν*
> *νῆα θοὴν ἐνὶ πόντῳ ἐλαυνέμεν, ὣς δὲ γυναῖκες*
> *ἱστὸν τεχνῆσσαι* (*τεχνῆσαι*).

Ita enim Imman. Bekker legi iubet, cum in Scholio sit *τεχνήεσαι*; antea *τεχνῆσαι* ab omnibus legebatur. Verum eam lectionem mutare causis gravissimis vetamur. Obstat enim non solum usus Homeri, apud quem syllaba *ες* digammum etiam habeat, sed loci symmetria quae vocatur et verborum constructio: »quanto viri caeteris hominibus peritiores sunt navigandi, tanto mulieres telae artificiose texendae.« Tum ab una, ab altera parte infinitivus est. Atque *τεχνάω* idem quod hic saepius apud Homerum declarat: *ὁ δ' εὖ τεχνήσατο καὶ τά* (vela) *ε* 259; *μὴ τεχνησάμενος μηδ' ἄλλο τι τεχνήσαιτο λ* 613; *ταῦτα δ' ἐγὼν αὐτὸς τεχνήσομαι ἠδὲ νοήσω Ψ* 415. Quibus autem de causis his locis medio quod vocant poeta utatur haud difficile est cognitu. Contra nullus proferri potest versus, in quo *τεχνήεις*, de personis dictum, valeat *artes sciens*. Et admodum durus esset accusativus (*ἱστὸν*) ad *τεχνήεις* positus, neque exempla exstant Homerica, quibus talis accusativus cum adiectivis in *εις* desinentibus coniungatur, ita ut huius syllabae vis obstare videatur.

Τολμήεις (*animi plenus*) *audax*: — *θυμός Κ* 205, *ρ* 284.

Χαρίεις *gratiosus*: — *νηός Α* 39. — *μέτωπον Π* 898, — *πρόσωπον Σ* 24. — (*κάρη δ' ἅπαν ἐν κονίῃσιν, πάρος χαρίεν*) *Χ* 403. — *εἵματα Ε* 905, *Χ* 511, — *φᾶρος ε* 331 = *κ* 544, — *πέπλος Ζ* 90, 271 (***superlat.***), — *δῶρα Θ* 204 = *Ι* 599, — *ἥβη κ* 279 = *Ω* 348 (***superl.***). — *ἔργα ξ* 234 = *κ* 223, *ψ* 161, — *ἀοιδή ω* 197, — *ἀμοιβή γ* 58, — *τέλος ι* 5 (***compar.***), — *χαρίεντα* ***neutr. plur. subst.*** *θ* 167.

Caput VIII.

Restant vocabula tria mirae formae: *μεσήεις, ποτιφωνήεις, ὑψιπετήεις,* quae adulterina esse facile intelligitur.

Μεσήεις

apud nullum scriptorem legitur praeterquam **M** 269 *ὦ φίλοι, Ἀργείων ὅς τ' ἔξοχος ὅς τε μεσήεις | ὅς τε χερειότερος.* Apertum est, quae notio hoc loco postuletur; sed *μεσήεις* nullo modo potest duci a *μέσος;* nam quid esset ***medio instructus?*** An ***medium tenens?*** At vero qua ratione haec notio ex principali profluxerit? Equidem non dubitandum esse coniicio, quin eundem in modum hunc versum Homerus concluserit atque *Λ* 570: *αὐτὸς δὲ Τρώων καὶ Ἀχαιῶν θῦνε μεσηγὺς | ἱστάμενος* vel *Π* 396: — — *ἀλλὰ μεσηγὺς | νηῶν καὶ ποταμοῦ καὶ τείχεος ὑψηλοῖο | κτεῖνε μεταΐσσων.* Cf. *Ψ* 521 *οὐδέ τι πολλὴ χώρη μεσσηγύς* (scil. *ἐστι*) et *Υ* 370: *οὐδ' Ἀχιλεὺς πάντεσσι τέλος μύθοις ἐπιθήσει, | ἀλλὰ τὸ μὲν τελέει, τὸ δὲ καὶ μεσσηγὺ κολούει.* Ut in his versibus *μεσηγύς* ad locum, sic pertinet ad tempus *η* 195: *μηδέ τι μεσσηγύς γε κακὸν καὶ πῆμα πάθῃσιν | πρίν γε τὸν ἧς γαίης ἐπιβήμεναι.* Translatio vocabuli ea, ut ordinem declararet, offendisse et causam attulisse videtur scribendi *μεσήεις.* Itaque restituerim hunc in modum versum:

ὦ φίλοι, Ἀργείων ὅς τ' ἔξοχος ὅς τε μεσηγὺς
ὅς τε χερειότερος.

Ποτιφωνήεις

et ipsum uno tantum loco legitur, in Homeri Odysseae libr. *ι* 456

εἰ δὴ ὁμοφρονέοις, ποτιφωνήεις τε γένοιο.

Φωνήεις quidem ***voce praeditus*** adiectivum usitatissimum est quodque leges grammaticas, de quibus supra diximus, sequatur. At quemadmodum *προσφωνή* fieri nequit, sic etiam *ποτιφωνή-εις* nihil est; etenim a verbo *προσφωνάν* id formare non licet. Atqui nulla fere mutatione si scripseris:

εἰ δὴ ὁμοφρονέοις ποτέ, φωνήεις τε γένοιο,

sententiam habeas optimam usitatumque vocabulum. Nescio an ita etiam Plato legerit, cum scribat: *ὅθεν τὰ θέατρα ἐξ ἀφώνων φωνήεντα ἐγένοντο.* De Legibus III pag. 700. c. Cf. **T** 407, ubi de Achillis equo poeta narrat: *αὐδήεντα δ' ἔθηκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.* Ut illic *φωνήεις*, sic adhibetur subst. *φωνή* a Demosthene in Olynth. I 2: *Ὁ μὲν οὖν παρὼν καιρός, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, μόνον οὐχὶ λέγει φωνὴν ἀφιείς.* Ad quem locum Antonius Westermann aptissime contulit Aeschin. III 130: *ἀλλ' οὐ προὔλεγον, οὐ προεσήμαινον ἡμῖν οἱ θεοὶ φυλάξασθαι, μόνον οὐκ ἀνθρώπων φωνὰς προσκτησάμενοι;* Plat. Protag. pag. 361 a: *καί μοι δοκεῖ ἡμῶν ἡ ἄρτι ἔξοδος τῶν λόγων ὥσπερ ἄνθρωπος κατηγορεῖν τι καὶ καταγελᾶν, καὶ εἰ φωνὴν λάβοι, εἰπεῖν ἂν ὅτι κτλ.* Cf. Soph. El. 538 *εἰ φωνὴν λάβοι.* Plerumque enim vocem humanam subst. *φωνή* significat, quanquam idem nonnunquam bestiis tribuitur. De particula autem *ποτέ* non est quod disputemus, cum Naegelsbach ad Il. ***Α*** 208, ***Β*** 97 et alii viri haud raro idem valere quod latinorum ***aliquando, tandem*** vel ***tandem aliquando*** accurate exposuerint. Quare vertendum est: »Si iam (*δὴ*) tandem mecum mentis esses particeps orationeque praeditus« (neque orationis expers)....!

Ὑψιπετήεις

exstat Χ 308 = ω 537: *οἴμησεν δὲ ἀλεὶς ὥστ' αἰετὸς ὑψιπετήεις*, alias non. Cum neque a verbo *πέτομαι* formari *πετήεις*, neque *ὑψιπέτης, εος* produci possit ita, ut epitheton in *εις* desinens efficiatur, legendum est **ὑψιποτήεις**, factum a subst. *ποτή volatus* ε 337. Adiect. *ποτήεις* = *ποτητός*, quod habes μ 62, sicuti *κολλήεις* = *κολλητός*, *θυσανόεις* = *θυσανωτός*, *πτερόεις* = *πτερωτός* etc. Et quemadmodum a *δινήεις* factum est *βαθυ-δινήεις*, sic *ὑψι-ποτήεις* a *ποτήεις*. Cf. *ἀερσι-πότητος* Hes. Op. 777, *ἀερσι-πότης* Hes. Scut. 316. Dubitari non potest, quin sonus epitheti *ὑψιπέτης*, quod, ad regulas a *πέτομαι* ductum, et ipsum aquilae tribuatur Ν 822, υ 243, mutationis causam attulerit. Est ergo *ὑψιποτήεις alto volatu praeditus* et versus ita restituendus (Ο pro Ε):

οἴμησεν δὲ ἀλεὶς ὥστ' αἰετὸς ὑψιποτήεις.

Caput IX.

A proposito nostro non aberrabimus, si iam ad extremum eorum poetarum, quos Homerum imitatos esse constat, artem et usum cum Homeri usu comparabimus; eo enim magis etiam, quae hucusque exposuimus, comprobabuntur; atque ut omnes litterarum Graecarum aetates essent in conspectu, elegimus Homeridas (Batrachomyomachiae et Hymnorum, qui Homerici vocantur, scriptores), Hesiodum, Apollonium Rhodium, Quintum Smyrnaeum. [1])

Homeridae

igitur haec habent epitheta in *εις* exeuntia: ***Αἰγλήεις:*** Clarus *H. Apoll.* 40 | *πῶλοι* 32, 9 | *αἰγλῆεν στίλβειν* 31, 11 — ***Ἀλκήεις:*** Minerva 28, 3 — ***Ἀμιχθαλόεις:*** Lemnus *H. Apoll.* 36 — ***Ἀμπελόεις:*** Crisa *H. Ap.* 438 | Clarus 8, 5 — ***Ἀνθεμόεις:*** *πεδία Merc.* 96 | *νομαί Ven.* 170 — ***Ἀργινόεις:*** *οὔρεα* 18, 12 — ***Ἀστερόεις:*** *οὐρανός Batr.* 168. *Cer.* 34: 30, 17: 31, 3 — ***Αὐχμήεις:*** Pan 18, 6 — ***Βαθυδινήεις:*** Alpheus 26, 3 — ***Δενδρήεις:*** *ἄλσεα Apoll.* 76. 143. 221. 245; *ἄλσος ibid.* 236. 385 | *πίση* 18, 3 — ***Δινήεις:*** *ποταμός* 20, 2 — ***Δολόεις*** (cf. *δολίης εἰλυμένον ἐντροπίησιν Merc.* 245): *πότμος Batr.* 50. — ***Ἐρόεις:*** Demo *Cer.* 104 | *ἄνθεα* 426 | *χέλυς Merc.* 31 | *σπέος Ven.* 264 — ***Ἐρσήεις:*** *κύπειρος Merc.* 107 — ***Εὐρώεις:*** *ζόφος Cer.* 481 — ***Ἠερόεις:*** *ἄντρον Merc.* 172. 234. 359 | Tartarus 256 | *ζόφος Cer.* 80. 337. 402 446. 464 — ***Ἠμαθόεις:*** Pylos *Merc.* 398. 425 — ***Ἠνεμόεις:*** Carpathus *Apoll.* 43 | Ilios *Ven.* 281 | [*οὐρανός Ven.* 292] | *ἄκριες* 27, 4 — ***Ἠχήεις:*** *δώματα Cer.* 104 | *οὔρεα* 13, 5 — ***Θυήεις:*** [*πέπλα Cer.* 278 | *σπάργανα Merc.* 237] — ***Θυόεις:*** Eleusis *Cer.* 97. 318. 490 — ***Ἱμερόεις:*** *ἀοιδή* 9, 5 | *καναχή (πλήκτρον) Apoll.* 185 | *δόμος αὐλῶν Merc.* 452 | *adv. κονάβησε Merc.* 502 | *πόλις ibid.* 180 | *ὀδμή Merc.* 231. *Cer.* 278 | *χορός Merc.* 478; 5, 13 | *γάμος Ven.* 142 | *ἰανά Cer.* 176 | Calypso *ibid.* 422. — ***Ἰχθυόεις:*** *πόντος Cer.* 35; 26, 9 — ***Κρυόεις:*** *φόβος Batr.* 72 — ***Μητιόεις:*** Iuppiter *Apoll.* 344; 23, 5 — ***Νιφόεις:*** Olympus 14, 7 | Parnasus *Apoll.* 282 | *λόφος* 18, 6 — ***Ὀξυόεις:*** *βέλος Batr.* 196 — ***Παιπαλόεις*** vide supra. — ***Πετρήεις:*** Rhenaea *Apoll.* 44 | Pytho *ibid.* 183. 390 | Autron *Cer.* 491 | *κέλευθα* 18, 7 — ***Ποιήεις*** Onchestus *Merc.* 190 | Haliartus *Apoll.* 243 | *πίσεα Ven.* 99 | *ἄγκεα Cer.* 381 | *νομός Ven.* 78 — ***Πτερόεις:*** *ἔπεα*

---

[1]) In Homeri usu describendo operam dedimus, ut ne unum locum praetermitteremus; in sequentibus vero paginis si unus alterque locus omissus erit, parvi id refert. Quare aliquotiens ad locutiones, quae crebrius inveniuntur, apposuimus notam »etc.« — Uncinis inclusimus, quae contra Homeri usum esse apparent.

Apoll. 50. 111. 451. *Ven.* 434. *Cer.* 485 etc. — *Σιγαλόεις: εἵματα Ven.* 85. 165 — *Σκιόεις:* Ida mons *Ap.* 34 | Pieriae montes *Merc.* 70 | [*ἄλσεα Ven.* 20 | *ἐναυλοι Ven.* 74. 124 etc.] | *μέγαρα Cer.* 116 | *ὄρεα* 26, 4 *Merc.* 96. — *Στονόεις: παγὶς Batr.* 50 | *βέλεα Ven.* 153; 27, 6 — *Τελήεις: οἰωνοί Merc.* 544 | *ἑκατόμβαι Ap.* 249. 260. 289. 367 etc. — *Τιμήεις: χρυσός* 5, 9 | *περιτιμήεσσα praed. Apoll.* 65 — *Ὑλήεις* (= *κατειμένος ὕλῃ Ap.* 226, *Merc.* 228, *Ven.* 286): Zacynthus *Ap.* 429 | *ἔναυλοι* 13, 5; 25, 8 etc. — *Φοινικόεις: εἵματα Merc.* 250 — *Χαρίεις: καρπός* 6, 41 | *πρόσωπον* 31, 12 | *neutr.*, *χαρίεντα Merc.* 484 | *κόσμος* 27, 17 — *Ψολόεις: κεραυνός Batr.* 287. *Ven.* 289.

Hesiodus:

Αἰθαλόεις: κεραυνός Theog. 72. 504. 707. 854 — *Αἱματόεις: ῥαθάμιγγες Th.* 183 | *ψιάδες Scut.* 384 — *Ἀλγινόεις: ὀϊζὺς Th.* 214 | *πόνος Th.* 226 — *Ἀνθεμόεις: γαῖα Th.* 878 — *Ἀστερόεις: οὐρανός Th.* 106. 127 etc. *Op.* 546 — *Βησσήεις: οὔρεα Th.* 130 | *ἄγκεα Op.* 387 — *Βροτόεις: ἔναρα Scut.* 367 — *Δακρυόεις: ἄλγεα Th.* 227 — *Δινήεις: ποταμοί Th.* 337 — *Ἐρόεις:* Halia *Th.* 245 | Petraea 357 — *Εὐρώεις: δόμος Ἀΐδαο Op.* 152 | Tartarus *Th.* 731 cf. *πείρατα* 739. 810 — *Ἠερόεις:* Tartarus *Th.* 119. 682. 721. 746. 807 | *σταθμός*=Tart. 294 | *ζόφος* 653. 658. 729 — *Ἠμαθόεις:* Pylus *Scut.* 360 — *Ἠχήεις: δόμος Th.* 767 — *Θυήεις: βωμοί Th.* 557 — *Ἱμερόεις:* Calypso *Th.* 359 | *χορός Th.* 8. *Scut.* 280 | *ἀοιδή* (*Μουσῶν*) *Th.* 104 | *γόνος* 919 | *adv. κιθαρίζων Scut.* 202 — *Κολλήεις: ἅρματα Scut.* 309 — *Κρυόεις:* Tartarus *Scut.* 255 | *πόλεμος Th.* 936 — *Λειριόεις: ὄψ* (*Μουσῶν*) *Th.* 41 — *Μητιόεις:* Iuppiter *Th.* 286. 457. *Op.* 51. 767 — *Νιφόεις:* Olympus *Th.* 42. 62. 118. 794. 953 — *Παιπαλόεις: βῆσσαι Th.* 860 — *Πετρήεις: γλάφυ Op.* 531. — *Ποιήεις:* Anthea *Scut.* 381 — *Πτερόεις: πέδιλα Scut.* 220 | *ἔπεα Scut.* 117. 326 etc. — *Σκοτόεις: νέφος Op.* 553 — *Στονόεις: βέλεα Th.* 684 | *Ἄρεος ἔργα Op.* 145 | *ἄεθλος Scut.* 127. *Th.* 951. 994 — *Τελήεις: ποταμός* = Oceanus *Th.* 242. 959. Cf. *Op.* 667 *ἐν τοῖς γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς ἀγαθῶν τε κακῶν τε* — *Τερμιόεις: χιτών Op.* 535 — *Ὑλήεις:* Ida mons *Th.* 1010 | *ὄρος* 484 — *Φοινικόεις: ἡνία Scut.* 95 | *αἵματι φοινικόεις* (Mars) *Scut.* 194 — *Φωνήεις: κνώδαλα Th.* 584 — *Χαρίεις:* Melite *Th.* 246 | Psamathe 260 | *ἔναυλοι* 129 — *Ψολόεις: κεραυνός Th.* 515, *Scut.* 422 — *Ὠτώεις: τρίπους Op.* 655.

Apollonius Rhodius:*)

Αἰγλήεις: Eos I 519 | *οὐρανός* IV 613. 636 | *χρύσεον κῶας* 1140 — *Αἰθαλόεις: βωμοῖο θέμεθλα* IV 118 | *καπνοῖο στροφάλιγγες* IV 139 | *κεραυνός* IV 595 — *Αἱμαθόεις:* [*ἰχώρ* III. 852] | *σύριγξ* IV 1645 — *Αἰπήεις* vide supra — *Ἀλγινόεις: δαίμων* IV 64 — *Ἀλιμυρήεις:* Parthenius fl. II 938 — *Ἀλκήεις:* Eribotes I 71 | Meleagrus I 191 — *Ἀμφιγυήεις* III 37 — *Ἀνθεμόεις νῆσος* IV 890 — *Ἀργινόεις:* [*χαλινά* IV 1605 | *πάχνη* II 740] — *Ἀστερόεις: στέφανος Ἀριάδνης* (stella) III 1002 — *Ἀνδήεις: χθόνιαι θεαί* IV 1320 —*Ἀχλυόεις: καπνῷ δ' ἀχλ. αἰθὴρ πέλεν* IV 925 — *Βοτρυόεις:* [*πλοχμοί* II 679] — *Δακρυόεις:* (*appos.*) Iason I 531 | *appos. ὣς φάτο δ.* IV 1275 — *Δενδρήεις:* Geraestus III 1243 — *Δινήεις:* Apidanus I 36 | Bosporus II 168 | Acheron II 355 | Phasis II 403 | *ῥόος* II 553. 598 — *Δολόεις: ἀρωγὴ Κύπριδος* II 425 | *praedic.* (Medea) *δολόεσσα τέτυκται* III 89 — *Δροσόεις: πεδία* I 1282 — *Ἐρευθήεις: praedic. δίπλαξ* I 728 — *Ἐρσήεις: λειμών* I 751. 881 | *νομός* II 1006 | *δρία* IV 968 | *ἀτραπιτοὶ πεδίων* IV 1170 — *Ἠερόεις: στόμα Βοσπόρου* I 1114 — *Ἠμαθόεις: Ἀβαρνίδος ἠιών* I 932 | *αἰγιαλός* IV 946 — *Ἠχήεις:* Boreas I 1308 | *πόντος* II 741 | *χαλκός* I 1236 | *κῦμα* IV 908 | *Ἰλυόεις: ποταμός* II 825 — *Ἱμερόεις: στόμα* III 685 | *adv. μειδιῶν* III 1023 | Hymenaeus IV 1195 | *appos.*

*) Ed. R. Merkel. 1852.

κούρη IV 40 — Κνισήεις: [καπνός I 868] — Κρυόεις: ἅλς I 918 | ἁλὸς κέλευθα II 630 — Κωπήεις: φάσγανον IV 694 — Λαχνήεις: χάρη (Γλαύκου) I 1312 — Λιγνυόεις: καπνός II 133, III 1291 — Λωβήεις: neutr. λωβήεντα καὶ οὐκ ὀνομαστά III 800 — Μνιόεις: τάρφεα IV 1235 — Νιφόεις: Olympus I 504. 1099 | Caucasus III 1223 — Ὀκριόεις: Dindymus I 1093 | κολωνός I 1120 | [μυχός II 739]. — Ὀκρυόεις: νειός III 1331 | φόβος II 609. — Παιπαλόεις vide supra — Πινόεις: δέρμα II 301 — Ποιήεις: χῶρος IV 115 — Πτερόεις: βέλος II 1040 | ὀϊστός II 602 | [πτερόεις δέ οἱ (i. e. Medeae) ἐν φρεσὶ θυμὸς ἰάνθη IV 23 huc illuc volitans] — Πυρόεις: ἀστήρ III 1376 — Σιγαλόεις: πέδιλον IV 1193 — Σκιόεις: [ἄλσος II 406 | βωμός IV 1713] — Σκοτόεις: ζόφος II 1107 — Στονόεις: νύξ II 633 | ὕβρις II 991 | ἀϋτή IV 1005 | πόλεμος I 1052 | ἄεθλος III 988 | οἶτος IV 1092 | μῦθος IV 354 — Τεχνήεις: Vulcanus III 229 | adv. τεχνηέντως πηδάλια ἀμφιέπειν I 561 — Τιμήεις: praed. γάμος IV 1141 | praed. τιμήεσσα ἔσσεαι III 1122 — Τλήεις: ἤπειρος II 379 | Cytorus II 944.

Quintus Smyrnaeus:

Αἰγλήεις: Eos I 826 | ἄργυρος IV 497 | οὐρανός V 131, IX 9, XII 104. 516 — Αἰθαλόεις: πῦρ I 612, VI 169 | πυρσός XII 43, XIII 23 | κεραυνός IX 403 | adv. πνείω XIV 585 — Αἰπήεις: Dardanus VIII 98 | Ilios XI 333 [πέτρη I 304] — Αἱματόεις: αἰχμή VI 409 | ἀφρός VI 211 | καπνός XII 505 | καρήατα VI 251 | κλόνος VI 571, VIII 147, IX 300 | κυδοιμός II 281. 514, VI 499 | μόθος | I 340, VII 123 | νέφος X 55 | ῥαθάμιγγες II 556 | ῥινοί IV 372 | χείρ XI 197 | χρώς XI 318 | φλέβες I 240 | σμώδιγξ III 556 | δῆρις I 223 | ἱδρώς IV 355 — Ἀλγινόεις: ἄκοντες XI 370. 444 | βέλεμνον IX 400 | Ἔρις VIII 325 | ἰόν VI 272 | καρήατα Ὕδρης VI 213 | κρόταφος XI 45 | κυδοιμός VI 499 | κνώδων XIV 349 | λίθος VI 559 | λύθρον VIII 287 | μυών XI 189 | μῶλος IX 142 | ὀδόντες (συῶν) V 20 | ὄζος IV 202 | ὄνειρος XIV 274 | πόνος XI 356 | τενών XI 57 | φόνος II 253, VII 604 | χόλος IV 376 | neutr. plur. subst. X 314 — Ἀλκήεις: αὐχένες (ταύρων) IV 247 — Ἀμπελόεις: Lemnus IX 338 | γαῖα Καρῶν I 285 | ὄρχατος VIII 279 — Ἀμφιγυήεις: Vulcanus II 137 — Ἀνθεμόεις: ἔαρ II 601 — Ἀστερόεις: βηλός = οὐρανός XIII 483 — Αὐδήεις: γλῶσσα XI 29 — Βοτρυόεις: Heraclea VI 473 — Δαιδαλόεις: τεύχεα I 141 — Δακρυόεις: κυδοιμός VI 577 | ὀαρισμός VII 316 | πένθεα V 472 | πόλεμος VII 356, IX 329, XIII 332 | τεράεστα XII 542 — Δινήεις: ποταμός IX 15 [οὐρανός V 10 | ἄξων VI 109] — Δολόεις: Ulixes V 358. 449 | equus Troianus XII 169, XIV 139 | Ὄνειρος I 122 — Ἐρσήεις: κῆπος I 396 | ἔαρ IV 429 | praed. θῆκε δ' ἄρ' ἐρσήεντα (νεκρόν) III 536 — Εὐρώεις: τύμβος XIV 241 — Ἠερόεις: [ἁλὸς οἶδμα V 95 | πόντος XIV 466 | βυσσός XIV 495] | ἄντρον XII 499 | [βέρεθρον VI 264 | νέφος XI 377 | νότος XIII 484 | Ὄλυμπος VI 422 | αἰγοκερεύς VII 300] — Ἠιόεις: Panormus I 283 | πεδίον V 299 — Ἠμαθόεις: χῶρος IV 507 — Ἠνεμόεις: Euboea XIV 422 | Lesbos XIV 114 | Sigeum VII 562 — Ἠχήεις: ἅλς XII 429 | ἄντρα (ventorum) XIV 476 | Boreas VI 485 | κρημνός XIII 239 | ποταμός II 559. IV 159 | ποταμοῖο ῥόος VI 379, VII 348 — Ἱμερόεις: ἄργυρος V 634 | ὀρχηθμός IV 140 | ὀφρύς I 58 | φορμίγγων ἰαχή VI 172 | χῶρος IV 8 | adv. μαρμαίρειν III 557 — Ἰόεις: σίδηρος VI 48 — Ἰχθυόεις: Hellespontus IX 172. 444 — Κητώεις: equus Troianus XII 314 — Κηώεις: δόμος VI 157 — Κρυόεις: φόβος VII 363 — Κυδήεις: ὄλβος V 636 praed. XIII 475 — Λαχνήεις: γένεια XIII 534 | θῆρες X 450 — Λειριόεις: Hesperidae II 429 — Μητιόεις: Ulixes V 429. 574 | Prometheus V 338 — Μορόεις: κακόν IV 402 | τεύχη I 152 — Νιφόεις: Imbrus VIII 80 | Sipylus I 293 — Ὀκριόεις: [ἔγχος I 239, VI 554] | πέτρη III 639, VII 198 | [σίδηρος XII 135] —

Ὀκρυόεις: ἄντρον VI 262 | ζόφος XIII 367 | θάνατος XIII 87 | μόθος I 133. 539 — Ὀρφνήεις νύξ III 657 — Παιπαλόεις: ὁδός VII 545 | οὔρεα VIII 226 | πέτρη VIII 415, IX 379 — Πτερόεις βέλεμνον IV 474, VI 638 — Ῥωπήεις: ἄγκεα VII 715 — Στονόεις: ἀκωκή I 567 | ἄκων I 615 | ἀϋτή XI 436 | βέλεα XI 370, XIII 355 | βέλεμνον X 223, XI 484 | βροντή XIV 450 | δῆρις I 408. 581. 642 etc. | δόρυ VI 393 | Ἐνυώ V 29, XI 8, XIII 85 | θάνατος I 478 | θύελλα I 488 | θυμός XI 465 | ἰός X 219 | κακότης I 73 | κάματος VII 463 | κεραυνός I 714, II 381, V 641, X 482 | κλαγγή I 509 | λόχος XII 572 | μόγος I 637, VII 593 | μόθος II 517, IX 139, XII 204 | μέλαθρα XIII 82 | μελεδήματα VIII 494 | ξίφος XIII 384, XIV 160 | ὀϊζύς II 271, XIII 479 | ὄλεθρος VIII 153, X 352, XII 63, XIII 463 | ὀϊστός X 207 | ὁμοκλή VI 614, VIII 504 | ὄρφνη II 621 | πόλεμος I 20 IV 86 etc. | πόνος XII 296 | πῦρ I 17 | σίδηρος XIII 131 | φόνος I 208. 311. 367 etc. | χερμάδιον XI 46 | *neutr. plur. subst.* πάντα στονόεντα IX 421 | *praed.* νῆες V 80 | χόλος IX 404 — Τεχνήεις: Medon VIII 296 | νόος (Ὀδυσσέως) XI 359 | ἔργα VI 481 | *adv.* τεχνηέντως V 97 | *appos.* σταθμός VI 233 — Τολμήεις: θυμός III 176, XIV 88 — Ὑπερηχήεις: ὄρεα II 1 — Ὑλήεις (cf. λασίῃσιν ἄδην κατειμένος ὕλης XIII 488): ἄλσεα III 326 | νομός XIII 69 | οὖρος XIII 395 | πτύχες οὔρειος II 282 — Φοινήεις: λύθρον XI 14.

Vindobonae mense Maio anni MDCCCLVIII.

Addenda et corrigenda.

Pag. 7 lin. 10 et pag 12 lin. penult. lege θύσανοι — 7, 29 lege πολυΐχθυος — 8, 2 indutum *fuerit* — 8, 14 *inter se* — 11, 16 epithetorum — 13, ult. adde: *Hymn. Hom.* 23, 3 αἰεὶ δ' ἐκ πλοκάμων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον — 14, 17 κορυφαί — 16, 18 miro calami lapsu subst. πτερόν ad vocabula in τρον exeuntia aberravit, quorum e numero eiciendum est — 21, 18 et 19 lege Σ 476: θῆκεν ἐν ἀκμοθέτῳ — 22, not. antepen. *Zeit* — 23, 7 sequendus *esset* — 30, 28 Graeci — 31, 15 adde: Si vero coniectura opus esset, mallem equidem legere σμυχαλόεσσαν *fumosam*; σμύχαλος: σμύχω = αἴθαλος: αἴθω — 32, 1 adde: (ἔναρα βροτόεντα = βεβροτωμένα τεύχεα) λ 41 — 35, 7 adde: Doederlein eam potissimum ob causam novavit, quod Homerum nusquam epitheta synonyma (εὐειδεῖ κηώεντι) coniungere opinatur. Non cogitabat — incredibile dictu — vir doctissimus de locis hisce: νηυσὶ θοῇσιν ὠκείῃσιν η 34 etc. | νηὸς ποντοπόροιο ὠκυάλου Ο 704 | Ἶρις ποδήνεμος ὠκέα Β 786 etc. | προβλῆτες ἀκταὶ ἀπορρῶγες, λιμένος ποτιπεπτηυῖαι ν 97 | δένδρεα αὖα πάλαι περίκηλα ε 238 | δίφροι πρωτοπαγεῖς νεοτευχέες Ε 194 | ἀγήραος ἀθανάτη Δ 167 etc. | ἀρήϊος, ἀτάλαντος Ἄρηϊ Ν 500 | ἀμείλιχος ἠδ' ἀδάμαστος Ι 158 | βροτολοιγέ, μιαιφόνε Ε 31 | ἄλκιμον, βριθύ, στιβαρόν α 99 etc. | μαλακοῖσι καὶ αἱμυλίοισι λόγοισι α 56 etc. | ἀργῆς φαεινός Γ 419 | αἰχμητής, πολεμιστής Ε 601 | ἐν θρόνῳ φαεινῷ σιγαλόεντι ε 86, al. sexcent. — 36, 4 nemini — 39, 33 adde: Γαλερός: (σι)γαλόεις = δροσερός: δροσόεις | δολερός: δολόεις | γλαγερός: γλαγόεις | αὐχμηρός: αὐχμήεις | ἰχθυηρός: ἰχθυόεις | οἰνηρός: οἰνόεις | ποιηρός: ποιήεις | τολμηρός: τολμήεις | χλιερός: χλιόεις etc. etc. — 40, 29 ceteris.